DE VARRONIS RERUM RUSTICARUM AUCTORIBUS QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

OSCARUS HEMPEL
TANNENBERGSTHALENSIS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVIII

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

HEINZE ET LIPSIUS

LIPSIAE D. XV. M. IUL. A. MCMVIII.

PROCANCELLARIO
STIEDA.

CAROLO ET HEDVIGAE SCHULTZ
SCHMOELENSIBUS.

Tabula argumenti.

Editionibus usus sum his.

Aristotelis de animalibus historiae rec. Dittmeyer 1907.
Aristotelis περὶ ζῴων γενέσεως ex rec. Bekkeri 1831.
M. Porcii Catonis de agri cultura ex rec. Keilii 1884.
Columella, script. rei rustic. vet. Lat. ed. Schneider 1794.
Geoponica rec. H. Beckh 1895.
T. Lucretii Cari de rer. nat. lib. VI ed. Giussani 1896.
Plinius, nat. hist. ed. C. Mayhoff 1875—1906.
Theophrasti Eresii opera ex rec. F. Wimmeri 1854.
M. Terenti Varronis rer. rustic. lib. III rec. Keil 1889.
Xenophontis script. min. rec. Dindorf ed. secunda stereotypa em. 1898.

Praefatio.

Varronis rerum rusticarum libri III etiam nunc compluribus rationibus tractandi sunt. Velut ne verborum quidem contextus olim corruptissimus satis restitutus est, quamvis bene Schneider,[1]) imprimis Keilius[2]) eiusque discipulus Zahlfeldtius,[3]) alii dispersim de hac re meriti sint.

Tum de compositione adhuc perpauca prolata sunt, quamquam haec inquisitione dignissima est ac certe multo plura, quam mihi has res non indaganti occurrerunt, in lucem protrahentur. Attigerunt eiusmodi quaestiones Zahlfeldtius (l. l. I), Heinzius,[4]) imprimis Hirzelius,[5]) qui in haec diligentius esse inquirendum suo iure praedicavit.

Denique res ipsae quaestiones sibi postulant. Legentibus enim praeter alias tanta copia rerum ex usu cotidiano haustarum nobis occurrit, ut interrogemus, undenam omnia haec Varro, vir doctissimus, sumpserit. Quamquam enim nemo dubitet, quin permulta ad eum ipsum redeant, tamen multo plura, quae agricolae peritissimi sunt, aliunde hauserit necesse est. Quod nemo in dubium vocat. Varro enim ipse hic illic expressis verbis auctores laudat, neque Romanos tantum, sed etiam Graecos velut Aristotelem, Theophrastum, ignotiores aliquot. De eo potius adhuc in dubio sumus, hos auctores, quod quidem attinet ad Graecos, utrum Varro ipsos adierit an eorum doctrinam ex fonte quodam secundo hauserit. Qua de re lis adhuc est apud iudices, et alterius quidem, quantum video, opinionis quasi fundamentum posuit Schneider, quem putasse Varronem velut ea, quae de Theophrasto laudat, ipsum ex operibus eius hausisse dilucide apparet ex eis, quae in commentario de eiusmodi locis protulit.[6]) Cuius sententiam secuti sunt Keilius ac nuper Gentillius,[7]) qui plausum tulit Stadleri (Berl. philol. Wochenschr. 1904 p. 1419), Gemollii (Wochenschr. f. klass. Philol. 1904 p. 626), nuperrime Gummeri (Beiträge zur alt. Gesch. Beiheft V p. 53/54).

---

[1]) Scriptorum rei rustic. vet. tom. I ed. 1794.

[2]) Observatt. crit. in Cat. et Varron. r. r. libr. III, Halis 1849, ed. mai 1884, ed. min. 1889; comment. ed. 1891.

[3]) Quaestiones crit. in Varr. r. r. lib. III, Berol. 1881.

[4]) Commentat. philol. quibus Ribbeckio grat. discip., Lips. 1888, p. 434 ll.

[5]) Der Dialog I p. 552 sq. 564.

[6]) cf. p. 340, 11; 342, 14; 348, 17; 572, 20.

[7]) De Varronis in libris rerum rustic. auctoribus, in Studi di filol. class. XI (1903) p. 99 sq.

Ab altera parte unus adhuc stetit Heinzius, qui Buechelerum[1] ducem secutus (l. l. p. 433—440) admodum multis locis ex Varrone, Columella, geoponicis haustis atque inter se comparatis negavit ea, quae apud Col. et in geop. verbis Varronis similia inveniantur, ex huius opere fluxisse, sicut primus Gemollius[2]) ac nuper Gentillius voluit, sed potius statuit ea ad eundem fontem redire, ad quem Varro „per magnam certe libri rerum rusticarum tertii, per maximam libri alterius partem rebus verbisque presse se applicaverit“ (p. 440). Quem auctorem esse Cassium Dionysium vel Diophanem eo facilius suspicatus est, quod Varro ipse eorum operum mentionem facit et quidem ita, ut eos eximium inter fontes locum obtinere unusquisque statim intellegat. Legimus enim I 1, 10: „hos (i. e. scriptores Graecos modo enumeratos) nobilitate Mago Carthaginiensis praeteriit, poenica lingua qui res dispersas conprendit libris XXIIX, quos Cassius Dionysius Uticensis vertit libris XX ac graeca lingua Sextilio praetori misit: in quae volumina de graecis libris eorum quos dixi adiecit non pauca et de Magonis dempsit instar librorum VIII[3]). hosce ipsos utiliter ad VI libros redegit Diophanes in Bithynia et misit Deiotaro regi. quo brevius de ea re conor tribus libris exponere e. q. s.“ Quae Heinzius statuit, si recta sint, una fiat verisimillimum Varronem auctores Graecos praeter Cassium Dionysium vel Diophanem ipsos non adisse, sed quaecunque ut ex illis hausta afferat, ex Magonis epitomis sumpsisse.[4]) Hoc autem est contrarium ei, quod Gentillius comprobare studuit.

Quodsi quaerimus, quomodo fieri possit, ut altera virorum doctorum pars affirmet Varronem ipsum omnes illos scriptores, quos auctores laudat, inspexisse et excerpsisse atque ex copia excerptorum hos libros composuisse, altera, quod quidem ad Graecos pertinet, hoc deneget, videbimus ad hanc rem ab initio res quasdam magnum afferre momentum. Ut a Schneideri sententia incipiamus, nimirum unusquisque, qui scire vult, quos fontes quis adierit, inquiret, quid scriptor ipse de eis dicat. Varro, ut est homo accuratissimus aut saltem talem se fert, de ea re facit verba I 1, 11: „ea (scil. quae his tribus libris prolaturus sum) erunt ex radicibus trinis, et quae ipse in meis fundis colendo animadverti, et quae legi, et quae a peritis audii“. Quibus acquiescere non possumus, nam de eo ipso, utrum illos scriptores antea nominatos ipse adierit an eorum doctrinam ex Dionysii vel Diophanis opere hauserit, id quod comperire nostra maxime interest, consulto, ut mihi videtur, tacet. Quae cum ita sint, non contenti hac explanatione, quae nullo damno a Varrone omitti poterat, ubi libros pervolvimus, videmus dialogi fictione neglecta Varronem ubique auctores ita laudare,

---

[1]) Rh. Mus. 39 (1884) p. 291/92.

[2]) Untersuchungen über die Quellen, den Verfasser und die Abfassungszeit der Geop. 1883 p. 238, 242.

[3]) Gentillium (l. l. p. 153) errare ratum Magonis opus a Cassio D. ad octo libros esse reductum recte iam Gummerus (l. l. p. 52, adnot. 8) vidit.

[4]) cf. Schanz, Röm. Literaturgesch. I^2, p. 378; Oder apud Susemihl, alex. Literaturgesch. I p. 832 ad not. 8.

ut eos ipsos legisse videatur. Velut I 5, 1 posuit: „Equidem innumerabiles mihi videntur (scil. partes agriculturae) inquit Agrius, cum lego libros Theophrastri conplures, qui inscribuntur *φυτῶν ἱστορίας* et alteri *φυτικῶν αἰτίων*. Stolo, Isti, inquit, libri non tam idonei iis, qui agrum colere volunt quam qui scholas philosophorum; neque eo dico, quo ⟨non⟩ habeant et utilia et communia quaedam". Varro igitur hic non solum dicit se Theophrastum legisse, sed etiam iudicium verissimum de eo fert, ita ut in lectore ne minimum quidem suspicionis oriatur, qua adductus Varronem simulare putet. Neque aliter res, quod attinet ad Aristotelem, se habet. Postquam enim affirmavit „mas an femina sit concepta, significare descensu taurum", addit II 5, 13 „cur hoc fiat, vos videritis, inquit mihi, qui Aristotelem legitis". Simili modo, ut paucos eligam, afferuntur Anaxagoras (I 40, 1), Archelaus (II 3, 5; III 11, 4; ibid. 12, 4; 16, 4), Menecrates (III 16, 18), atque ei ipsi, ex quibus solis eum pendere suspicamur, ita laudantur, proinde ac si ex numero auctorum ab ipso excerptorum sint. Velut II 1, 27 scripsit: „Cui ego ut succinerem, subicio Magonem et Dionysium scribere, mula et equa cum conceperint, duodecimo mense parere". Cassium solum nominat velut I 17, 3: „de iis (scil. servis) Cassius scribit haec". Diophanem denique laudat (I 9, 7): „Stolo, Non male, inquit, quae sit idonea terra ad colendum aut non, Diophanes Bithynos scribit". Statuitur igitur Varronem ubique id appetisse, ut ipsos auctores adisse videretur, qua specie eos, qui a Schneidero stant, deceptos esse persuasum habeo.[1]) Quo accedit, quod certe Varroni multo maiori esset laudi, si res sicut Gentillius ultimus vult, se haberet, quam si contrarie. Cui opinioni plane ea respondent, quae is posuit l. l. p. 152: „haud verisimile nobis videbatur hominem in graecorum philosophia tam excellentem Aristotelisque studiosum, qui Athenis litteris penitus imbutus esset, senex vero publicae bibliothecae ordinandae a Caesare praefectus tot Graecorum volumina perlegere potuisset, in hoc opere exarando duobus totis libris unam epitomen adhibuisse".[2])

Videmus igitur duas res ab initio ad alteram de Varronis fontibus opinionem magnum afferre momentum, nempe illam speciem, quam de auctoribus adhibitis Varro prae se fert, atque auctoritatem eius. Quodsi insuper contingit, ut complures locos verbotenus, sicut apud Theophrastum fit, alios admodum accurate in Varronis libros esse translatos ostendatur, Gentillii argumentis validissimis demonstrasse sibi videntur Varronem scriptores, quos laudat, ipsos inspexisse, cum non reputantes eum horum doctrinam non minus bene ex Cassio vel Diophane sumere potuisse, tum offensiones, quae opinionem eorum maxime infringunt, aut omnino nihili facientes aut minime probabiliter explicantes. Qua in re incredibilia fere Gentillius commissit, quae infra in lucem protrahemus.

Eandem rem ut ab altera parte contemplemur, iam supra praedi-

---

[1]) cf. e. g. Hirzel l. l. p. 552 adnot. 1.
[2]) cf. Gummerus l. l. p. 53.

cavi primo obtutu animadverti Magonis opus a Cassio et Diophane deinceps tractatum inter fontes eximium habere locum nec per se quicquam obstare, quominus opinemur Varronem, quaecunque ut ex Aristotele, Theophrasto, aliis hausta afferat, ex Magonis epitoma sumpsisse. Quod etiam verisimilius fit his rebus. Primum Varro affirmat Cassium Dionysium „de graecis libris eorum, quos ipse dixerit, adiecisse non pauca et de Magonis dempsisse instar librorum VIII“. Inde procul dubio efficitur, ut Cassius ipse, quibus auctoribus Graecis usus esset, pronuntiaverit. Incredibile enim est Varronem, quos fontes Cassius usurpavisset, quaesivisse et quidem tam diligenter, ut omnium illorum Graecorum — nam hoc sane inest in verbis „eorum quos dixi“ — vestigia apud Cassium inveniret.[1]) Sequitur autem ut, quae cuiusque auctoris essent, recte ei attribuere posset propterea, quod Cassius Dionysius eius nomen adiecerat. Deinde, si adversarii nostri rectum tenerent, mirum esset hoc statuendum Varronem, quamquam in Cassii opere omnia prompta iacebant, tamen ea transferre noluisse, sed potius subisse laborem inspiciendi vel potius perlegendi — nam indices rerum et verborum tunc nondum erant — omnes illos scriptores, quos appellat, atque id eo eventu, ut eadem fere inveniret atque in libros suos reciperet, quae certe iam Cassius Dionysius excerpserat. Aristotelis enim et Theophrasti operibus perlectis apparet non multo plura, quam apud Varronem leguntur, inesse, quae idonea sint ad transferendum, cum pleraque magis ad philosophum quam ad agricolam pertineant. Quo accedit, quod minime est verisimile Varronem annum octogesimum primum agentem eamque ob rem properandum esse censentem (I 1, 1) auctorum studiis amplioribus incubuisse. Quin etiam, qui audacior erit, dicet verbis (I 1, 11): „quo (i. e. Diophane) brevius de ea re conor tribus libris exponere“ Varronem quodammodo indicare se Diophanis epitomam ad dimidium circumcisurum esse, atque hinc efficiet, ut simile fecerit quod Cassius D., qui Magonis libros circumcidens adiecit de Graecis non pauca. Nam Varro quoque de Romanis complura addidit. Quamquam, cum altera ratione haec verba non minus bene interpretari liceat, hoc minime premamus haud ignorantes omnibus eiusmodi argumentis comprobandi quidem vim inesse, at non demonstrandi: Itaque solis nitemur eis, quae rebus ipsis efficiuntur eamque ob causam validiora sunt.

Haec praemittere volui, ut clarum fieret utramque de Varronis auctoribus opinionem rebus quibusdam ab initio commendari. Nunc iam ad propositum ipsum nos convertamus.

Varronis auctores discedunt in duo castra; alteri sunt Romani, alteri Graeci. Quae genera iterum constant duabus speciebus, quarum

---

[1]) Oder apud Susemihl l. l. I 830, 6; V. Rose, Aristot. pseudepigr. p. 270, qui censet Varronem illos scriptores Graecos apud Cassium D. enumeratos invenisse; cf. etiam Becher, De Collumellae vita et scriptis diss., Lips. 1892, p. 43, qui ut ego quoque assentitur Reitzensteinio arbitrato scriptorum rusticorum ordinem ap. Col. I 1, 7—14 extantem Celso deberi, qui certe Magonis opere usus est.

altera continet eos, qui res rusticas tractaverunt, altera eos, qui de aliis rebus egerunt nec tam praeceptorum quam ornatus gratia a Varrone afferuntur. Dico ex his Ennium, Pacuvium, Plautum, Plautium, Romanos, Dicaearchum, Eratosthenem, Homerum, Timaeum Graecos. Quos nunc quidem missos facimus. Nobis enim in praesens tempus propositum est Varronis rerum rusticarum auctores, quos ipse expresserit, indagare.

Caput I.

Exordimur a Romanis partim, quod apud eos inquirendo, utrum Varro eos ipse adierit necne, prorsus supersedere possumus, cum nemini in mentem veniat hoc in dubium vocare; partim quod de eis ut Varronis auctoribus recta plerumque prolata sunt, ita ut interdum nihil reliquum sit nisi, ut breviter referamus aut augeamus aut corrigamus, quae viri docti adhuc eruerunt.

§ 1. Accedimus primum ad M. Porcium Catonem, qui librum suum, cui inscribitur „de agricultura" medio fere secundo a. Chr. n. saeculo composuit. Cui libro propter miram formam, qua nunc exstat, multi viri docti operam dederunt, cum alii velut Keilius,[1] Weisius,[2] Reitzensteinius,[3] Heidrichius[4] censerent eum post Catonis mortem ab aliquo homine esse retractatum, alii velut Jordanus,[5] Schoendoerffer,[6] Hauler,[7] Reuther,[8] nuperrime Schanzius (l. l. p. 127) putent in universum eum eadem forma ad nos pervenisse, qua ex Catonis manibus prodierit. Nos hanc quaestionem intricatissimam diiudicare nec volumus nec possumus. Tamen haec controversia erat commemoranda, quod eam ad nos quoque aliquid valere infra apparebit.

Inter Catonem et Varronem quae ratio intercedat, iam dudum est cognitum. Iam Schneider in commentariis (partim Varroniano partim Catoniano) semper, cum Cato a Varrone nominatim citatur, qui loci sibi respondeant, adnotat, interdum idem facit (sc. ad V. I 37, 5; 40, 4; 54, 1; 55, 6), cum nomine neglecto Catoniana afferuntur. Quos locos

---

1) Observatt. crit. p. 67.

2) Quaestionum Catonianarum cap. V, Göttingen 1886.

3) Wochenschr. f. kl. Philol. 1888 p. 587 sq.

4) Neue philol. Rundschau X 1890 p. 281 sq.

5) Hermes XV p. 14.

6) De genuina Cat. de agric. libri forma part. I 1885.

7) Zu Catos Schrift über das Landwesen, Jahresber. d. K. K. Staatsgymn. Wien II. Bez. 1896 p. 6.

8) De Catonis de agri cultura libri vestigiis ap. Graecos, Lips. 1903, p. 29: Idem frusta demonstrare studuit geoponica a Varrone pendere.

Gentillius (l. l. p. 131—135) una cum eis, qui ex Catonis originum libro manaverunt, collegit et supplevit, ita ut hac opera supersedere possimus, praesertim cum Catonis libello perlecto mihi persuaserim nihil, quod cum aliqua fiducia ad Catonem referri possit, esse omissum.

Ouod vero idem (l. l. p. 156, 2) voluit Varronem primi libri dispositionem maxime ex Catone sumpsisse, negari quidem non licet de eisdem rebus agi, contra non affirmem Catonem utique esse auctorem. Haud dubie enim etiam Sasernae atque imprimis Tremellius similiter res disposuerant, ita ut hos quoque Varro sequi potuerit. Non igitur dicam, quod Gentillius censet, esse falsum, sed moneam tantum, ne plus pro certo ponamus, quam certis argumentis confirmatur.

§ 2. Quae cum ita sint, non restat nisi ut statuamus, qua ratione Varro Catonem exscripserit. Nemo enim non videt, quantopere perspectum id habere eius intersit, qui diiudicare vult, utrum Varro quaedam ex fontibus primis an altero auctore hauserit. Quam ad rem Catonis verba aptissima sunt propterea, quod sola ex scriptis rusticis ante Varronem a Romanis compositis exstant nec dubitari potest, quin Varro ea ipsa legerit. Incipimus a locis, quibus Cato a Varrone expressis verbis auctor laudatur. Eligam I 23, 7 sq., quo loco Catonis caput VI exscriptum est, eam ob causam, quod ibi omnes rationes apparent, quibus Varro, cum Catonem nominatim adhibuit, usus est.

Cato: Agrum quibus locis conseras, sic observari oportet. ubi ager crassus et laetus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet; idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum, id maxime seri oportet. in agro crasso et caldo oleam conditivam, radium maiorem, sallentinam, orcitem, poseam, sergianam, colminianam, albicerem, quam earum in iis locis optimam dicent esse, eam maxime serito. hoc genus oleae in XXV aut in XXX pedes conserito.	Stolo, Quod ad haec pertinet, Cato non male, quod scribit de sationibus, ager crassus et laetus si sit sine arboribus, eum agrum frumentarium fieri oportere; idem ager si nebulosus sit, rapa, raphanos, milium, panicum; 24. in agro crasso et calido oleam conditaneam, radium maiorem sallentinam, orcitem, poseam, sergianam, colminiam, albicerem, quam earum in iis locis optimam dicant esse, eam maxime serere.
2. ager oleto conserundo, qui in ventum favonium spectabit et soli ostentus erit, alius bonus nullus erit. qui ager frigidior et macrior erit, ibi oleam licinianam seri oportet. si in loco crasso aut caldo severis, hostus nequaquam erit et ferundo arbor peribit et muscus ruber molestus erit.	agrum oliveto conserendo, nisi qui in ventum favonium spectet et soli ostentus sit, alium bonum nullum esse. 2. qui ager frigidior et macrior sit, ibi oleam licinianam seri oportere. si in loco crasso aut calido posueris, hostum nequaquam fieri et [ei] ferendo arborem perire et muscum rubrum molestum esse.

3. circum [coronas et circum vias] ulmos serito et partim populos, uti frondem ovibus et bubus habeas et materies, [siquo opus sit, parata erit]

sicubi [in iis locis ripae aut] locus umectus erit, ibi cacumina populorum serito et harundinetum. id hoc modo serito: ⟨prius⟩ bipalio vortito, ibi oculos harundinis pedes ternos alium ab alio serito. ibi corrudam serito, unde asparagi fiant. 4. nam convenit harundinetum cum corruda, eo quia foditur et incenditur et umbram per tempus habet. salicem graecam circum harundinetum serito, uti siet, qui vineam alliges.

3. hostum vocant quod ex uno facto olei reficitur. factum dicunt quod uno tempore conficiunt, quem alii CLX aiunt esse modiorum, alii ita minus magnum, ut ad CXX descendat, exinde ut vasa olearia quot et quanta habeant, quibus conficiunt illut. quod Cato ait circum fundum ulmos et populos, unde frons ovibus et bubus sit et materies, seri oportere

(sed hoc neque in omnibus locis opus est neque in quibus est opus, propter frondem maxime) sine detrimento ponuntur a septemtrionali parte, quod non officiunt soli.

4. Ille adicit ab eodem scriptore, si locus umectus sit, ibi cacumina populorum serenda et harundinetum. id prius bipalio verti, ibi oculos harundinis pedes ternos alium ab alio seri

* * *

aptam esse utrique eandem fere culturam.

salicem graecam circum harundinetum seri oportere, uti sit, qui vitis alligari possit.

Ut a re mere extera ac tamen gravissima exordiamur, statuendum est ut hic sic ceteris omnibus locis, quibus Catonem nominat, Varronem nomen eis, quae inde hausit, praeposuisse. Conferas I 2, 7 (ibid. 28); 7, 1, 9; 18, 1; 19, 1; 22, 3; 23, 7; 58. 60; II 3, 3; 4, 11. — Insignissimum certe id est, quod Varro rebus et verbis presse ad Catonem se applicat, id quod eodem modo fit his locis: V. I 7, 1 et C. I 2—3; V. I 7, 9 et C. I 6; V. I 18, 1[1]) et C. X 1; XI 1; V. I 19, 1, 3 et C. X 1; XI 1; V. I 60 et C. VII 4; V. I, 58 et C. VII 2, ubi pro Catonis[2]) verbis „quas suspendas duracinas aminnias maiores" Varro posuit „quas suspendas opportunissimas esse duracinas et aminneas scantianas". Praeterea „in lora" V. omisit.

1) Ibidem quod salictarius iam non enumeratur, qui affertur ap. C. 11, 1, hoc certe non Varronis, sed scribae alicuius errore est factum, cuius oculi a verbo asinarium ad salictarium deerraverunt. Nec magis dubitari potest, quin numerus XV, postquam illud mendum irrepsit, ab aliquo postea adaequatus sit. Quod ante Nonii aetatem factum est, cum iam hic (p. 501, 1) XV legerit.

2) Catonis locus valde est corruptus (cf. Keil. comment.).

Interdum Varro pauca, quae translatione digna non videntur, omittit. Quae excerpendi ratio etiam magis apparet I 22, 3—5 (cf. C. X 2—4; XI 1—5), ubi ex instrumentis deinceps enumeratis quaedam eligit, cetera neglegit semper hoc adnotans verbis „item alia". Neque aliter iudicandum est de I 2, 28, ubi Varronis minus interfuit praeceptum Catonis ad verbum referre (C. 156, 1) quam novam praeceptorum speciem addere eis, quae inde a I 2, 13 usque ad § 28 afferuntur.

Additamenta ita fiunt, ut ea primo obtutu cognoscas. Nam verba 24, 3 „hostum . . . illut" ita adicit, ut subito oratione recta utatur, cum antea obliqua indicet se Catonem exscribere. Nec minus perspicuum id est in verbis proximis, quibus Catonis praeceptum de ulmis et populis serendis iudicem agens supplet his: „sine detrim . . . soli". Cum pergit, expresse significat denuo Catonem exscribi.

Denique verbis „aptam . . . culturam" quasi argumentum reddit horum Catonis: „nam convenit . . . habet". Quod vero corrudae apud Varronem nulla omnino fit mentio, hoc non neglegentia Varronis, sed potius lacuna ante „aptam" orta explicandum esse recte adnotavit Keilius (comm. ad h. l. p. 75). Similiter, quid Catonis capita 76, 75, 162 contineant, exponitur his verbis I 2, 28: „in . . . Catonis libro . . . scripta sunt permulta similia, ut haec, quem ad modum placentam facere oporteat, quo pacto libum, qua ratione pernas sallere".

His locis absolutis in examen vocemus ea, quae silentio Varronem transtulisse Gentillius statuit (l. l. p. 134/35). Quae omnia talem habent speciem, perinde ac si ex memoria et recordatione hausta sint. Velut inde, quod Cato 34, 2 dicit locis aquosis semen adoreum, locis siccis triticum esse serendum, Varro effecit I 9, 4: „itaque periti in loco umidiore far adoreum potius serunt quam triticum".[1]) Neque aliter res se habet (I 11, 1), ubi Catonis (3, 1) verba: „ita aedifices, ne villa fundum quaerat ⟨neve fundus villam⟩" sic reddidit[2]): „in modo fundi non animadverso lapsi multi, quod alii villam minus magnam fecerunt, quam modus fundi postulavit, alii maiorem, cum utrumque sit contra rem familiarem ac fructum". Item rebus congruunt hi loci: V. I 37, 5 et C. 149, 1; V. I 40, 4 et C. 45, 1; V. I 45, 2 et C. 155, 1; V. I 54, 1 et C. 23, 2; V. I 59, 1. 3 et C. 7, 3. 4; V. II, praef. 1 et C. praef. 2. Nisi forte commemorandum est, quod Varro 54, 1 de suo adiecit „quam vocant nigram" et 59, 1 Catoniana auxit verbis „scandiana, orbiculata et quae antea mustea vocabant, nunc melimela appellant".[3])

Videmus igitur locos, quibus Cato exscribitur nominatim non laudatus, ea re a ceteris differre, quod verba iam non sunt eadem atque

---

[1]) Col. II 9, 3 multo similiora Catonis quam Varronis verbis exhibet, cum Plinius (n. h. XVIII 166) verbotenus fere Varronem exscripserit.

[2]) cf. Plin. XVIII 32; Col. I 4, 8.

[3]) Certe Varro ipse musteis melimela opposuit. Is enim etiam alias aequalium studium graecitatis illudit, velut III 10, 1: „Transi inquit Axius, nunc in illud genus, quod non est [ulla] villa ac terra contentum, sed requirit piscinas, quod vos philograeci vocatis amphibium, in quibus ubi auseres aluntur, graeco nomine chenoboscion appellatis"; cf. etiam V. II; praef. 2; ibid. 1, 2; III 16, 12.

in fonte, cum in rebus nullum fere exstet discrimen. Quin etiam discrimina, quae sunt in verbis, hic illic minora fuisse is censebit, qui Catonis librum retractatum esse opinatur.

Verbis ipsis adhuc maxime respectis iam ad res nos convertamus. Si enim quis quem auctorem adhibet, duo fieri possunt: Aut arbitrum aget ant non aget, sive quod segnior est sive quod rerum scientia caret. Illud si fit, aut expressis verbis, cum placebit, auctori repugnabit aut loco eorum, quae is praecipit, sua ponet. Si hoc, magis aut minus ad verbum fontem exscribet. Quomodo Varro se gesserit, iam inquiramus.

Velut I 18, 1 Catonis de numero servorum praecepta duo affert, quibus in § 2 Sasernae de eadem re verba opponit ea mente, ut proximis (§§ 3—6) exponat, quid in utroque sibi displiceat, et postremo (§ 7) proferat, quid ipsi videatur. Prorsus item res se habet I 19, 1—2, ubi iterum Catoni Saserna opponitur. Videtur igitur Varro iudicem agens et rerum scientia nisus fontes inter se comparatos recensuisse. Sed haud scio an videatur tantum. Insigne enim id est, quod Cn. Tremellius Scrofa, quem de rebus rusticis librum praeclarum paulo ante Varronem conscripsisse constat, in primo Varronis libro quasi primas agit partes.[1]) Neque solum attribuitur ei iudicium omnium scriptorum et Romanorum et Graecorum et Punicorum, qui ante Varronem de rebus rusticis egerant (V. I 2, 13, 25; cf. Col. I 1, 6), sed idem (V. I 7, 10) Catonis opinioni praeter aliam (I 8, 1) suam opponit, idem (V. I 16, 5) Sasernarum praecepti ad vilicum pertinentis loco ponit severius, idem denique haec, de quibus agitur, profert. — Accedit, quod iudicia res mere rusticas spectantia omnino non inveniuntur nisi in primo libro, in reliquis vero non solum desunt, sed etiam ea proferuntur, quae censuram quasi provocant. Velut II 3, 5 ex fonte quodam miratus tantum transtulit haec: „de quibus (sc. capris) admirandum illut, quod etiam Archelaus scribit: non ut reliqua animalia naribus, sed auribus spiritum ducere solere pastores curiosiores aliquot dicunt“. Vel II 4, 5: „itaque ob eam rem aiunt lupos, cum sint nancti sues, trahere usque ad aquam, quod dentes fervorem carnis ferre nequeant“. Vel III 9, 14: „circum caveas eorum incendendum cornum cervinum, ne quae serpens accedat, quarum bestiarum ex odore solent interire“. Vel III 10, 5: „voraces enim sunt natura (sc. anseres). quo temperandum iis, qui propter cupiditatem saepe in pascendo, si radicem prenderunt, quam educere velint e terra, abrumpunt collum“. Vel III 12, 4: „itaque de iis (sc. leporibus) Archelaus scribit, annorum quot sit qui velit scire, inspicere oportere foramina naturae, quod sine dubio alius alio habet plura“. Quae modo attuli, non minore iure „miracula“ dicas quam ea, quae ex Sasernarum libris hausta Scrofae aperte iudicio nisus Varro (I 2, 28) Stolonem eadem voce appellantem inducit.[2]) Sed Reatinus

[1]) cf. Reitzenstein, De scriptorum rei rusticae, qui intercedunt inter Cat. et Col., libris deperditis 1884, p. 15.

[2]) Etsi loco laudato verbis „quae omnia sunt diversa ab agricultura et ideo repudianda“ certe maior inest vis quam voci „miracula“ — dicas enim, si illa miracula ex Sas. et Cat. hausta ad agriculturam pertinerent, Varronem ea

tacet prorsus alium se praestans atque in primo libro. Nam cum illic eiusmodi res cum Scrofa riserit, hic eas exscribit serio; nihil enim prodit per iocum haec esse posita. Quod quomodo explicandum esse censeam, iam exponam.

Quod Varro proprio iudicio omnino non usus esse videtur, aut saltem, si hoc adhuc deneges, quod in primo tantum libro iudicia in rerum scientia posita nobis occurrunt, eum, qui e. g. Columellam novit, maxime obstupefacere debet ac quaeritur, utrum Varro consulto rem ita instituerit necne. Etsi concedo pro eo dici posse eum noluisse nisi libros indices (I 1, 4) conscribere eamque ob rem supersedisse Columellae ratione hic illic variorum opiniones conferre et iudicare, tamen hoc non ita multum valet. Ut enim res ita se habeat, cur in ipso libro primo res similiter atque apud Columellam est instituta? Ego haec potius censeo. Varro omnis rerum scientiae, sicut infra permultis locis luce clarius apparebit, prorsus expers erat. Itaque de eis, quae apud auctores invenit, ipse iudicium ferre omnino non potuit. Unde statim elucet, cur in primo tantum libro arbitrum agat, scilicet propterea, quod de auctoribus Romanis in hunc librum receptis procul dubio ante eum Tremellius, vir harum rerum peritissimus, .egerat, cuius iudicia eum usurpasse persuasum habeo atque infra pluribus comprobabitur. Iam intellegimus, cur in libro secundo et tertio iudicia desint. Hic enim Tremellio iam non niti potuit, quod is praeter res a Varrone in libro primo tractatas non egerat nisi de subus. Quod infra uberius ostendam. Neque iam non videmus, cur Tremellius omnia illa iudicia proferat. Quamquam de eadem re paulo infra verba erunt facienda, ita ut accuratius haec exponere nunc quidem mittamus.

Quae omnia si recte disputavimus, statuendum erit Varronem magna cum diligentia in rebus rusticis Catonem verbotenus plerumque exscripsisse et quidem ita, ut maiora additamenta aliquo modo significaret nec quicquam auctori attribueret, quod non apud hunc exstet. Res ipsas in examen non vocavit, sed ea transtulit, quae in fonte invenit, nisi cum alter auctor repugnabat. Quod si fiebat, huius iudicium amplecti solitus est.

Hac ratione auctores simpliciter exscribendi quin Varro in ceteris quoque Romanis usus sit, non est cur dubitemus. In Graecis accedit, quod in convertendo hic illic error nasci potuit. Quibus erroribus neglectis apparebit eos prorsus eadem ratione esse exscriptos, quam modo de Catone eruimus, neque haec est minima causa, cur de re modo tractata recta me statuisse sperem.

§ 3. Iam transeamus ad Sasernas, de quibus Reitzensteinius (l. l. p. 3 sq.) diligentissime egit, ita ut summa tantum referamus. — Sasernarum libri complures non ante annum a. Chr. n. 149, non post a. 104 de fundo in Gallia citeriore sito (cf. V. I 18, 6) compositi in-

---

omnia item atque haec allaturum fuisse — tamen negari non potest eo ipso, quod vox „miracula“ adhibita est, res antea expositas recenseri, id quod ne uno quidem ex his locis fit.

scribebantur „de agricultura". Exemplo fuit Cato.[1]) Itaque non solum eaedem fere res proferebantur diligentius et uberius interdum tractatae, sed etiam elocutio huius simillima erat, quas res loci apud Varronem (cf. Gent. l. l. p. 137), Columellam, Plinium exstantes confirmant. Auctoritate minime carebant,[2]) quamquam apud Varronem eorum mentio plerumque non fit nisi cum irrisione et contemptione. Stolonem enim (V. I 2, 24) ironice, non serio, sicut Reitzensteinius (l. l. p. 11) vult, praeclaros eos dicere scriptores iam Gentillius recte animadvertit (l. l. p. 101). Hoc eo insignius est, quod Columella, qui Sasernas magnopere laudat, rerum rusticarum multo peritior Varrone fuit. Patet autem Reatinum iudicio misso exscripsisse iudicium Tremellii, quem Sasernas maxime impugnasse etiam infra clarius fiet quemque idem fere de eorum opere sensisse Varro ipse testatur scribens I 2, 25: „non ignorabat libros et despiciebat".

Quatenus Sasernae a nostro expressi sint, praeter locos iam a Gentillio collectos statui non potest, cum loci apud Columellam et Plinium exstantes hac in re usui non sint. Hoc constare mihi videtur eos adhiberi non potuisse nisi in primo libro, cum de re pecuaria aut de pastione villatica, quam Varro dicit, eos egisse nusquam appareat.

§ 4. Etiam peiore condicione in proximo auctore utimur, scil. C. Licinio Stolone. Is enim utrum omnino librum de his rebus composuerit necne, non satis constat, quamquam equidem cum Reitzensteinio faciam (l. l. p. 8 sq.), qui nisus imprimis his locis V. I 2, 12: „Ad te (sc. Scrofam) enim rudem esse agriculturae nunc, olim ad Stolonem fuisse" et Col. I prol. 32: „Multum tamen profecerit, si usu Tremellios Sasernasque et Stolones aequaverit" non dubitat, quin Stolo librum ediderit. Quo accedit, quod Stolo in primo Varronis libro quasi secundas agit partes. -- Hunc, quamquam aetate minor Tremellio fuerit, librum ante hunc publici iuris fecisse idem vult nisus verbis modo allatis (V. I 2, 12). Quod quomodo se habeat, vix diiudicari potest. Hoc pro certo ponam Stolonem item ac Sasernas adhiberi non potuisse nisi in primo libro, in quo insuper uno loquens inducitur.

§ 5. De Cn. Tremellio Scrofa idem Reitzensteinius egit (l. l. p. 12 sq.). Nostra maxime interest scire, quando eius liber prodierit quaeque continuerit. Quod attinet ad illud, Reitzensteinius nisus Lucretii versibus (II 1150—1174; V 821, 826), quibus eadem fere proferuntur, quae teste Columella (II 1, 2 et 5) apud Tremellium legebantur, statuit hunc post editos illius libros, i. e. post annum a. Chr. n. 54 scripsisse. Quamquam ipse hanc argumentationem minus validam esse sensit. Quam ob rem hanc quaestionem misit. — Alia via Heinzius postea, quando Tremellii opus publici iuris factum sit, statuere conatus est.

---

[1]) cf. etiam Münzer, Beiträge zur Quellenkritik der Naturgesch. des Plinius, Berlin 1897, p. 15.

[2]) cf. Col. I. prol. 32; III 17, 4. Insignissimum id est, quod priore loco Varro omnino non commemoratur.

Exorditus inde, quod Tremellius certe ante Varronem scripsit (cf. Col. I 1, 12; Plin. XVII 199; cf. imprimis infra) atque inde, quod idem tam praecipuum in primo et secundo libro obtinet locum, eius vero operis apud Varronem nulla fit mentio, hanc ipsam rem ita explicavit, ut diceret (l. l. p. 434) „mentionem eius cur vitaverit Varro, se nullam videre causam, nisi quod Tremellius eo tempore, quo dialogos primo et altero libro narratos habitos esse fingat, librum suum nondum conscripserit“. Libri autem alterius dialogus cum in anno a. Chr. n. 67 (cf. V. II praef. 6), libri primi post 59 (cf. V. I 2, 10) ponatur, post hunc annum et nimirum ante a. 37, quo Varro hos libros composuerat (cf. V. I 1, 1) Tremellium opus suum conscripsisse sequitur. Haec coniectura magnopere mihi arridet, praesertim cum ne causa quidem, cur Varro ita rem instituerit, perspicua non sit. Sollertissima enim haec est ratio adhibendi auctorem, qui paulo ante librum edidit, cum hoc modo Varro impediret, ne quis Tremellium a se esse epitomatum diceret. Immo uberius eum exprimere potuit fingens eadem, quae Tremellius in opere ipsius proferebat quaeque obtrectator inde a Varrone hausta esse ostendere poterat, hunc iam in illis dialogis docuisse. Quin enim Reatinus eum exscripserit, dubitari non licet respectis locis, quos Gentillius (l. l. p. 102) attulit (V. I 44, 1; cf. Col. II 10, 8; V. I 26; cf. Col. III 12, 5). Nec magis incertum esse mihi videtur Varronem ea, quae supra ad Scrofam rettuli, revera ex hoc sumpsisse. Non enim solum apud Varronem, sed etiam apud Columellam et Plinium Sasernis repugnat. Apud illum III 3, 2: „nam de arbusto etiam inter auctores non exigua pugna fuit, abnuente Saserna genus id ruris, Tremellio maxime probante“. (I 1, 4—5) Sasernam caelum in melius mutari dixisse traditur, eodem teste II 1, 2 Scrofa contrarium fere affirmavit. III 12, 5: „cuius (i. e. caeli) quam regionem spectare debeant vineae, vetus est dissensio, Saserna maxime probante solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum: Tremellio Scrofa praecipuam positionem meridianam censente“. Apud hunc XVII 199: „Sequitur arbusti ratio mirum in modum damnata a Saserna patre filioque, celebrata Scrofae, vetustissimis post Catonem peritissimisque, ac ne a Scrofa quidem nisi Italiae concessa“. Huc si addas, quod Columella I 1, 6 eundem etiam, quid scriptores Punici, i. e. Mago et Hamilcar falso exposuissent, praedicasse testatur, iam non neges verisimillimum esse illa Catonis et Sasernarum iudicia non ad Varronem, sed ad Tremellium redire, qui ex Romanis ante Varronem ponendis his in rebus certe erat κριτικώτατος.[1])

Doleo, quod ne in Tremellio quidem locis apud posteriores exstantibus nisi plures ex Varronis opere locos ad hunc referre possimus. Unum tamen, ni fallor, confirmatur. Quamquam enim Tremellius etiam in secundo libro loquens inducitur et similiter atque in primo (cf. I 5, 3; ibid. c. 15/16) rerum dispositionem pronuntiat (cf. II 1, 11—12), quo

---

[1]) Ad eundem igitur referam, quae V. I 24, 3 ad Catonem addidit. Vilissimum est quod Varro I 38, 2 de Cassio animadvertit. Huc non pertinet, quod III 1, 2 de Ennio legitur.

ipso loco rerum rusticarum omnium palma coronatur, tamen Reitzensteinio[1]) repugnandum est, qui l. l. p. 15/16 duos libros eum composuisse vult, scilicet unum „de agricultura", alterum „de re pecuaria" Non enim illud „omnium" tantopere premere licet, cum certe altera tantum forma sit laudis, quae legitur I 2, 10 „qui de agri cultura Romanus peritissimus existimatur". Occulte potius ac tamen satis clare significari mihi videtur Scrofam ex animalibus domesticis non egisse nisi de subus cum his verbis V. II 1, 2: „Sed haec ita a nobis accipietis, inquit Scrofa, ut vos, qui estis Epirotici pecuariae athletae, remuneremini nos ac quae scitis proferatis in medium. nemo enim omnia potest scire,"[2]) tum his II 4, 2—3: „nec tamen defugio, quin dicam quae scio de suillo pecore; agri enim culturae ob initio fui studiosus, nec de pecore suillo mihi et vobis, magnis pecuariis, ea res non est communis". Velim animadvertas, quam insigni loco „agri" vox stet quamque aperte Tremellius pecuariis se opponat, quibuscum de subus tantum certare potest. — Postremo Scrofa neque apud Columellam neque apud Plinium in rebus pecuariis laudatur. Cui rei certe aliquid momenti inest. Ex Columellae enim et Plinii locis ex auctoribus haustis cognosci posse, quas rerum rusticarum species hi tractaverint, confirmatur e. g. collatis eis, quae hi de Catone et Varrone proferunt, cum horum libris. In singulis contra rebus fides eis caute tantum habenda est. Discrimina enim exstare iam Heinzius monuit (l. l. p. 433) praedicans V. I 6, 5 rebus non congruere cum Col. III 11, 8; item res se habet V. I 7, 10 et Col. II 2, 6; cf. etiam Gent. l. l. p. 156 adnot. 4. — Praeterea mirum in modum Columella Tremellium prorsus neglexisset, si hic revera de re pecuaria uberius egisset.

Quae cum ita sint, id, quod Reitzensteinius de altero libro statuit, ita corrigendum esse censeo, ut statuatur praeter agri culturam Tremellium non egisse nisi de subus, fortasse ne peculiari quidem libro. Cur reliqua animalia domestica neglexerit, haud ambigue explicari non potest. Falso putes hoc propterea esse factum, quod ea aetate agricolae Romani alia nondum pascebant, cum e. g. V. II 9, 6 appareat quosdam habuisse ovium greges. Contra non adverser, si quis Scrofam agellum quendam, in quo sues tantum educabantur, Sasernarum fere ratione descripsisse dicat. — Tremellius igitur ut auctor Varronis fere non in censum venire potuit nisi in primo libro, in quo satis ample expressus esse videtur. Plura non autumem, neque accipias quaeso nisi pro coniectura id, quod iam prolaturus sum. Haud scio an ex Tremellii opere ea expressa sint, quae Varro I 8 posuit. Ille enim quin de vineis copiosius egerit, dubitari non potest respectis locis quibusdam apud Columellam exstantibus (Col. III 3, 2; 11, 8; 12, 5),

---

[1]) Sequitur eum Schanzius, Röm. Literaturgesch. I² p. 400.

[2]) Nimirum hoc per se est argumentum satis debile. Dicas enim haec ultima verba ideo esse posita, ut dialogus efficeretur. Sed puto eis verbis, si cum proximis coniunguntur, aperte maiorem inesse vim quam modo expositam. Itaque etiam eis pro argumento uti licere censeo.

cumque ea, quae Varro narrat, viri harum rerum peritissimi sint nec quicquam Graeci contineant, insuper luce clarius aliunde interposita sint — neque enim in dispositione (I 6, 1) neque in recapitulatione (I 15) commemorantur et post caput octavum Varro ad propositum iam cap. VII 5 sq. tractatum redit-his rebus adductus arbitror fortasse haec Tremellio esse attribuenda. Pro certo minime statuam.

§ 6. Praeter hos auctor Romanus nullus a Varrone adhibitus esse videtur. C. Julii Hygini enim neque opus „de agri cultura" scriptum, quod Charisius (grammat. lat. I p. 142, 15) laudat nec libellus teste Columella (IX 13, 8) „de apibus" conscriptus a Varrone usquam commemoratur, quamquam verisimillimum est ea composita esse eodem fere tempore, quo Varro libros suos confecit (cf. Reitzenstein. l. l. p. 19). De Mamilio autem Sura a Plinio XVIII 143 cum Catone et Varrone in re quadam collato omnia incertiora sunt, quam ut quicquam haud ambigui statui possit.[1]) Reitzensteinius eum omnino praeteriit. Itaque iam nihil obstat, quominus ad Graecos Varronis auctores transeamus.

Caput II.

§ 1. Eorum operum, quorum auctores Varro in indice (I 1, 8—10) et in verborum contextu (velut Archelaum) attulit, cum maximae partis nihil omnino iam exstet, perpaucorum velut Democriti, Archelai, Archytae fragmenta tantum tenuissima, nos, qui iam Varronis fontes Graecos indagaturi sumus, hac in re solis eis uti possumus, quorum volumina adhuc manibus tenemus. Hi sunt Hesiodus, Xenophon, Aristoteles, Theophrastus. Ex quibus duos primos brevissime absolvere licet. Ab Hesiodo enim, cuius in censum venit poema *ἔργα καὶ ἡμέραι* inscriptum, Varronem pendere nequaquam comprobari potest, cum, quod attinet ad res, similia quidem interdum necessario nimirum proferantur, verba autem ipsa adeo non consentiant, ut illud ne comprobari quidem, nedum confirmari possit. Quam ob rem ne Gentillius quidem hoc ostendere conatus esse videtur, qui alias vel ea arripuit, quae speciem tantum similitudinis habent. Quod modo dixi, et multis aliis confirmatur et eo, quod is (l. l. p. 126) autumavit ex Xenophonte (de re eq. cap. 1) Varronem sumpsisse equi pulli descriptionem, quae est V. II 7, 5. Hoc abhorrere ab omni verisimilitudine nemo neget, neque habeo, quod conferendo verba scriptorum tempus et spatium perdam. Unum saltem afferam, nempe Xenophontem haud ignorantem

---

[1]) cf. Mommsen, Rh. Mus. 16 (1861) p. 282.

pedes et crura equorum summi esse momenti, ab his incipere, Varronem contra item ac Columellam (VI 29, 1—3) et geoponicon auctorem (XVI 1, 8 sq.) a capite ordiri. — Porro inesse verbis V. II 1, 2[1]) memoriam loci, qui legitur Xenophon. symp. III 3, suo iure iam Hirzelius negavit.[2]) Statuimus igitur ne Xenophontem quidem a Varrone esse expressum ostendi posse.

§ 2. Quae cum ita sint, ad Aristotelem nos convertamus, cuius ex operibus genuinis in censum veniunt „historiae animalium libri X"[3]) et „de generatione animalium libri V", ex subditiciis „oeconomica". Gentillius ea, quae a Varrone ex Aristotele hausta esse putat, l. l. p. 104—113 collegit, sed collegit tantum. Adeo enim supersedit opera inquirendi in locos, ut interdum in errores vel maximos inciderit, quam ob rem opus est, antequam de quaestione ad nos maxime pertinente agamus, locos discernere in tria genera, ex quibus primum continet eos locos, quibus, quin Aristoteles expressus non sit, nemo dubitet propterea, quod Varro de eisdem rebus ab illo discrepantia profert; secundum constat eis, quorum altera pars ob rerum discrepantias ex Aristotele vel potius Pseudo-Aristotele non est hausta, altera quidem cum hoc fere congruit, sed, cum arto quodam sententiarum vinculo cum illa parte coniuncta sit, item Pseudo-Aristoteli est abroganda; tertium denique ea complectitur, quae Aristotelis partim similia sunt, partim plane fere cum eo congruunt. Nullus enim est locus, quo Aristoteles eo modo ad verbum exscriptus sit, quem in Catone statuimus quemque apud Theophrastum et in Cassio Dionysio iterum inveniemus. Quam rem velim memoria teneas.

Generibus propositis iam ad singula nos convertamus. Gentillius nonnullos ex locis, quibus Aristoteles fons non est, l. l. p. 112—113 attulit censens, eos an Varro ab Stagirita sumpserit, eo difficilius diiudicari posse, quod interdum apud illum quaedam cum hoc conveniant, quaedam plane ab eo abhorreant. Ego arbitratus, cum Varro discrepantia ab Aristotele profert, dubitari omnino non posse, utrum hic expressus sit necne, potius autumo ex locis, quibus Aristoteles non est auctor, multo plus nos discere quam ex eis, qui admodum similia aut eadem fere exhibent. Haec est causa, cur et primi et secundi generis locos plene afferendos esse censeam. Ordo erit idem, quo legentibus nobis apud Varronem occurrunt. Itaque iam a primo genere incipiamus.

V. II 1, 13: „itaque in bubulo pecore minoris emitur annicula et supra decem annorum, quod a bima aut trima fructum ferre incipit neque longius post decimum annum procedit".

Contra A. h. a. 575a 22sq.: *ὀχεύει δὲ τὰ ἄρρενα καὶ ὀχεύεται τὰ θήλεα ἐνιαύσια ὄντα πρῶτον, ὥστε καὶ γεννᾶν· οὐ μὴν ἀλλὰ τό γ' ὡς*

[1]) cf. supra p. 21, v. 8.
[2]) l. l. I p. 564, 1.
[3]) Spurii sunt libri VII, IX, X; cf. praef. ed. Dittmeyeri.

ἐπὶ τὸ πολὺ ἐνιαύσιοι καὶ ὀκτάμηνοι, τὸ δὲ μάλισθ' ὁμολογούμενον διετεῖς; ibid. 30: *καὶ τίκτει καὶ ὀχεύει ἕως ἂν ζῇ. ζῶσι δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ περὶ πεντεκαίδεκα ἔτη αἱ θήλειαι.*[1])

V. II 1, 19: „in fetura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod ... quaedam e vento concipiunt certo tempore equae, ut hic gallinae quoque solent, quarum ova hypenemia appellant. sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt"; cf. Col. VI 27, 7.

A. h. a. 572a, 13: *λέγονται δὲ καὶ* (sc. *αἱ ἵπποι*) *ἐξανεμοῦσθαι περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον* (i. e. *ὅταν ἱππομανῶσιν* v. 10); cf. ibid. 559b, 26: *ὑποτιθεμένων δὲ τῇ ὄρνιθι οὐδὲν παχύνεται τὸ ὑγρὸν* (sc. *τὸ τῶν ὑπηνεμίων*), *ἀλλὰ τό τε ὠχρὸν διαμένει καὶ τὸ λευκὸν ὅμοια.*

Ne minora premamus, Aristotelem non esse auctorem certissime inde apparet, quod is nec de pullis nec de Hispania ullum facit verbum, negari autem non potest, indidem, unde haec sunt, etiam reliqua fluxisse.

V. II 2, 14: „neque pati oportet minores quam bimas saliri (sc. oves)".

A. h. a. 545 a, 23: *πρόβατον μὲν καὶ αἲξ αὐτοετὲς ὀχεύεται καὶ κύει, μᾶλλον δὲ ἡ αἴξ. καὶ οἱ ἄρρενες δ' ὀχεύουσιν ὡσαύτως.*

V. II 4, 7: „neque minores admittendae (sc. sues) quam anniculae; melius viginti menses exspectare, ut bimae pariant".

A. h. a. 545a, 28: *ὗς δ' ὀχεύει μὲν καὶ ὀχεύεται πρῶτον ὀκτάμηνος.*

V. II 5, 13: „mas an femina sit concepta, significat descensu taurus, cum init, quod, si mas est, in dexteriorem partem abit; si femina, in sinisteriorem. cur hoc fiat, vos videritis, inquit mihi, qui Aristotelem legitis".

Hoc igitur loco Varro dicit se huius rei causas apud Aristotelem expositas legisse. Sed simulat tantum. Totum enim pervolvas Aristotelem, haec nusquam invenias. Immo hic de eo agens, utrum sexus discrimina, priusquam aperte videantur, iam exstent necne, i. e. utrum illa discrimina in matris demum utero fiant an antea, tria affert, quae viri praeclari de hac re ante eum excogitaverant scribens de gen. an. 763b, 30 sq.: *φασὶ γὰρ οἱ μὲν ἐν τοῖς σπέρμασιν εἶναι ταύτην τὴν ἐναντίωσιν εὐθύς, οἷον Ἀναξαγόρας καὶ ἕτεροι τῶν φυσιολόγων· γίνεσθαί τε γὰρ ἐκ τοῦ ἄρρενος τὸ σπέρμα, τὸ δὲ θῆλυ παρέχειν τὸν τόπον, καὶ εἶναι τὸ μὲν ἄρρεν ἐκ τῶν δεξιῶν, τὸ δὲ θῆλυ ἐκ τῶν ἀριστερῶν, καὶ τῆς ὑστέρας τὰ μὲν ἄρρενα ἐν τοῖς δεξιοῖς εἶναι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖς· οἱ δ' ἐν τῇ μήτρᾳ, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς· τὰ μὲν γὰρ εἰς θερμὴν ἐλθόντα τὴν ὑστέραν ἄρρενα γίνεσθαί φησι, τὰ δ' εἰς ψυχρὰν θήλεα ... Δημόκριτος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης ἐν μὲν τῇ μητρὶ γίνεσθαί φησι τὴν διαφορὰν τοῦ θήλεος καὶ τοῦ ἄρρενος, οὐ μέντοι διὰ θερμότητά γε καὶ ψυχρότητα ..., ἀλλ' ὁποτέρου ἂν κρατήσῃ τὸ σπέρμα τὸ ἀπὸ*

---

[1]) Quibus nitor, ea semper notabo litteris amplioribus, ne iterum atque iterum verba singulis locis modo allata repetam.

τοῦ μορίου ἐλθὸν, ᾧ διαφέρουσιν ἀλλήλων τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν. Quas opiniones Aristoteles deinceps ad unam omnes refellit item atque eam, quam subiungit scribens 765a, 21 sq.: *παραπλησίως δέ τινες πεπεισμένοι τούτοις εἰσὶ καὶ λέγουσιν, ὡς τὸν δεξιὸν ὄρχιν ἀποδουμένοις ἢ τόν ἀριστερὸν συμβαίνει τοῖς ὀχεύουσιν ἀρρενοτοκεῖν ἢ θηλυτοκεῖν· οὕτω γὰρ καὶ Λεωφάνης ἔλεγεν. ἐπί τε τῶν ἐκτεμνομένων τὸν ἕτερον ὄρχιν τὸ αὐτὸ τοῦτο συμβαίνειν τινές φασιν, οὐκ ἀληθῆ λέγοντες κτλ.* Immo Stagirita, quomodo tum mares tum feminae fiant, sic explicat de gen. an. 766a, 16: *τούτων δ' ὑποκειμένων ἴσως ἂν ἤδη μᾶλλον εἴη φανερὸν δι' ἣν αἰτίαν γίνεται τὸ μὲν θῆλυ, τὸ δ' ἄρρεν. ὅταν γὰρ μὴ κρατῇ ἡ ἀρχὴ* (scil. *ἡ ἔνεστιν ἐν τῷ τοῦ ἄρρενος σπέρματι*) *μηδὲ δύνηται πέψαι δι' ἔνδειαν θερμότητος μηδ' ἀγάγῃ εἰς τὸ ἴδιον εἶδος τὸ αὐτοῦ, ἀλλὰ ταύτῃ ἡττηθῇ, ἀνάγκη εἰς τοὐναντίον μεταβάλλειν. ἐναντίον δὲ τῷ ἄρρενι τὸ θῆλυ, καὶ ταύτῃ ᾗ τὸ μὲν ἄρρεν, τὸ δὲ θῆλυ.*

Tantum igitur abest, ut Aristoteles eam rem, quam Varro affert, explicaverit, ut eius ne mentionem quidem fecerit, cum ab altera parte eorum, quae hic profert, ne vestigium quidem apud Varronem inveniatur. Perspicuum autem est, cur Reatinus ipsi Aristoteli haec attribuerit. Ab hoc enim potissimum, quem Cassius D. inter auctores enumeraverat, in opere *περὶ ζῴων γενέσεως* conscripto hanc rem expositam esse suspicatus est. Eo ipso igitur loco, quo uno Aristoteles rei rusticae auctor in verborum contextu laudatur, noster in gravissimum incidit errorem, atque id eo insignius est, quo confidentius Varro Aristoteli id attribuit. Quod ne Gentillius quidem facere dubitavit (l. l. p. 106). Redit autem hic locus procul dubio ad Archelaum (cf. infra).

V. II 5, 17: „castrare (sc. tauros) non oportet ante bimum, quod difficulter, si aliter feceris, se recipiunt. qui autem postea castrantur, duri et inutiles fiunt“.

A. h. a. 632a, 13: *οἱ μὲν οὖν μόσχοι ἐκτέμνονται ἐνιαύσιοι, εἰ δὲ μή, αἰσχίους γίνονται καὶ ἐλάττους.*

V. II 7, 7: „horum (sc. equorum) feturae initium admissionis facere oportet ab aequinoctio verno ad solstitium, ut partus idoneo tempore fiat: duodecimo enim mense die decimo aiunt nasci“.

A. h. a. 576b, 23: *ὥρα δ' οὐκ ἀφαιρεῖται οὐδεμία τεταγμένη τοῦ ὀχεύεσθαι καὶ ὀχεύειν. οὐ μέντοι γε ὅτ' ἔτυχε γενομένης τῆς ὀχείας δύνανται ἃ ἂν γεννήσωσιν ἐκτρέφειν . . . ἄρχονται δ' ὀχεύεσθαι αἱ ἵπποι τοῦ ἔαρος.* ibid. 575b, 26: *κύει δ' ἕνδεκα μῆνας, δωδεκάτῳ δὲ τίκτει.*

V. II 8, 3: „qui non habent eum asinum, quem supposuerunt equae, et asinum admissarium habere volunt, de asinis quem amplissimum formosissimumque possunt eligunt“.

A. h. a 577b, 15: *οὐ προσδέχεται δ' οὔτε ἡ ἵππος τὸν ὄνον οὔτε ἡ ὄνος τὸν ἵππον, ἐὰν μὴ τύχῃ τεθηλακὼς ὁ ὄνος ἵππον· ὑποβάλλουσι γὰρ ἐπίτηδες οὓς καλοῦσιν ἱπποθήλας.* — Aristoteles igitur asinum admissarium equae lacte non educatum non novit.

V. III 6, 2: „ad admissuram haec minores bimae (sc. pavones) non idoneae nec iam maiores natu“.

A. h. a. 564a, 25: *ὁ δὲ ταὼς ζῇ μὲν περὶ πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη, γεννᾷ δὲ τριετὴς μάλιστα.*

V. III 9, 3: „gallos castrant, ut sint capi, candenti ferro inurentes ad infima crura, usque dum rumpatur".

A. h. a. 631b, 25: *ἐκτέμνονται δ' οἱ μὲν ὄρνιθες κατὰ τὸ οὐροπύγιον, καθ' ὃ συμπίπτουσιν ὀχεύοντες· ἐνταῦθα γὰρ ἐὰν ἐπικαύσῃ τις δυσὶν ἢ τρισὶν σιδηρίοις, ἐὰν μὲν ἤδη τέλειον ὄντα, τό τε κάλλαιον ἔξωχρον γίνεται κτλ.*

Praeter id, quod Gentillium hic illic vel maxime errasse apparet, ex locis modo allatis non ita multum efficitur, nisi quod nec Varro nec, si auctorem secundum exscripsit, hic Aristotelem his locis expressit. Caveo enim, ne id iam nunc magnopere premam, quod Varro II 5, 13 tantopere erravit.

Priusquam ad secundum locorum genus accedimus, pauca sunt praemittenda. Varro capite XVI libri tertii apium pastionem uberrime tractavit, atque item de apibus apud Aristotelem duobus maxime locis agitur, scil. libri V historiarum capitibus XXI, XXII et libri spurii noni capite XL. Hunc enim esse subditicium primus ostendit Dittmeyer.[1]) Post hunc H. Joachim[2]) demonstravit compilatorem noni libri praeter alios fontes hausisse ex perditis Theophrasti libris *περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους* et *περὶ αὐτομάτων ζῴων* (cf. l. l. p. 52), unde item fluxerunt §§ 1—15 mirabilium auscultationum Pseudo-Aristotelicarum. Idem diligentissime in capitis XL compositionem p. 39 sq. inquisivit atque haec statuit: Ad Theophrastum redeunt versus 623b, 13—624a, 18; 624a, 33—624b, 11; 625a, 5—14; 625b, 17—32; 626a, 26—27; 626b, 8—15; dubitat an huic attribuendi sint vss. 625b, 6—17. Aristoteli adscribit vss. 624b, 20—27, dubitat an idem statuendum sit de 626b, 15—24. Tum ignotus quidam, quem A dicamus, auctor est versuum 624a, 18—33; ad alterum ignotum B, cuius proprium est verba poetica velut *θνήσκειν* et *κτείνειν* usurpare (cf. Joach. l. l. p. 41), redeunt vss. 624b, 11—20; ibid. 27—625a, 5; ibid. 14—34; 625b, 32—626a, 13; ibid. 28—626b, 1. Dubitat de 626b, 1—6; tertius ignotus C ei auctor esse videtur versuum 625a, 34—625b, 6, quartus D versuum 626a, 13—26, quintus E 627a, 10—28. Versus 626b, 6—8; ibid. 24—627a, 9 certo auctori non vindicat. — Videmus satis intricáta esse, quae Joachim eruit, cumque nonnulla velut de Theophrasto et Aristotele constent, alia magis minusve ambigua esse mihi videntur. Quamquam meum non est accuratius haec exponere, immo satis habens ea commemorasse iam ad secundum locorum genus aggredior ad singulos adnotaturus, cui auctori Joachim attribuat.

1. V. III 16, 6: „secuntur omnia pura. itaque nulla harum adsidit in loco inquinato aut eo, qui male oleat, [neque etiam in eo, qui bona olet unguenta. itaque iis unctus qui accessit, pungunt],[3]) non

---

[1]) Die Unechtheit des 9. Buches d. aristot. Tiergeschichte in Blätt. f. bayr. Gymn. XXIII, 1887 p. 16—29, 65—79, 145—162.

[2]) De Theophrasti libris *περὶ ζῴων*, Bonn 1892.

[3]) Hic gravius est interpungendum.

ut muscae ligurriunt, quo nemo has videt, ut illas, in carne aut sanguine aut adipe. ideo modo considunt in ⟨eis⟩, quorum sapor dulcis".

A. h. a. 626a, 24: *καὶ τἆλλα δὲ καθαριώτατόν ἐστι τὸ ζῷον.* (Ignoti auctoris D).

ibid. 596b, 15: *ἡ δὲ μέλιττα μόνον πρὸς οὐδὲν προσίζει σαπρὸν οὐδὲ χρῆται τροφῇ οὐδεμιᾷ ἀλλ' ἢ τῇ γλυκὺν ἐχούσῃ χυμόν.*

ibid. 626a, 26: *δυσχεραίνουσι δ' ὥσπερ εἴρηται ταῖς δυσώδεσιν ὀσμαῖς καὶ ταῖς τῶν μύρων. διὸ καὶ τοὺς χρωμένους αὐτοῖς τύπτουσιν.*

ibid. 625b, 20: *πρὸς σάρκα δ' οὐθενὸς καδίζει οὐδ' ὀψοφαγεῖ.* (Hi loci sunt Theophrasti).

Varronis verba etsi cum his in nonnullis rebus congruunt, tamen multo artius cohaerent cum eis, quae leguntur geop. XV 3, 4 (cf. p. 73), ut alterum locum alterius quasi esse versionem appareat excepto eo, quod geoponicon auctor sicut Aristoteles 596b, 15 non de locis, sed de rebus inquinatis verba facit, quod multo rectius quam Varro pro „ideo" non posuit, ut equidem mihi persuasi, sed conservavit *ἀλλά*, quod denique Varronis verba „neque etiam in eo . . . pungunt" in geoponicis non leguntur. Quomodo hoc est explicandum? Si prius geoponica inspicimus, nulla re offendimur, cum omnia bono ordine proferantur. Contra apud Varronem nemo non videt ea ipsa verba, quae in geoponicis desunt, huc male quadrare, cum id, quod locis bona unguenta olentibus apes non considere dicuntur — quod falsum[1]) insuper esse manifestum est, cum apes velut ex jasmini floribus sedulo mel colligant — nihil omnino pertineat ad earum munditiam. Suspicor igitur haec verba, quae miram rem exhibere et patet et inde intellegitur, quod eandem rem legimus apud Pseudo-Aristotelem mir. auscult. 21, esse interposita in eum sententiarum conexum, qui nunc etiam in geoponicis exstat. Quod verisimillimum fit, ne dicam confirmatur eo, quod verborum *δυσώδων* et *ἀκαθάρτων* ordo apud Varronem est immutatus. Etsi enim hoc etiam alicubi similiter factum est (cf. e. g. l. 10[2]): parva varia rotunda: *μικρά στρογγύλη ποικίλη*) tamen hic „Varro"[3]) eum consulto immutasse videtur, ut ad „male oleat" commodius adiungeret „bona olet". Duae igitur sunt causae, cur haec verba aliunde interiecta esse putemus, quo accedit, quod non intellegeremus, cur geoponicon auctor illa verba omitteret, si Varronem expressisset. — Quae omnia si probabilia sunt, una efficitur, ut geoponicon verba hoc loco minime ex Varrone fluxerint, quamvis huius similia sint, sed potius integra alterius ex fontibus, quem is hic etiam expressit, verba exhibeant (cf. p. 45 adnot. 2, p. 71 adnot. 1).

2. V. ibid. 7: „minime malefica, quod nullius opus vellicans facit deterius, neque ignava, ut non, qui eius conetur disturbare, resistat"; cf. geop. XV 3, 5.

---

1) cf. geop. XV 2, 38.
2) cf. p. 30.
3) „Varro" idem significat ac „Varro aut auctor eius".

A. h. a. 626a, 15: *καὶ ἔξω μὲν οὔτε ἀλλήλας ἀδικοῦσιν οὔτε τῶν ἄλλων οὐθέν, τὰ δὲ πρὸς τῷ σμήνει ἀποκτείνουσιν, ὧν ἂν κρατήσωσιν.* (Auctoris D) — In eo tantum, quod apes maleficae non esse dicuntur, verba congruunt.

3. V. ibid.: „quae cum causa musarum esse dicuntur volucres, quod et, si quando displicitae sunt, cymbalis et plausibus numero [1]) reducunt in locum unum".

A. h. a. 627a, 15: *δοκοῦσι δὲ χαίρειν αἱ μέλιτται καὶ τῷ κρότῳ, διὸ καὶ κροτοῦντές φασι ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος ὀστράκοις τε καὶ ψήφοις.* (Auctoris E.) — Praeter notata loci imprimis eo differunt, quod Varronis poetae fere sunt.

4. V. ibid. 8: „regem suum secuntur, quocumque it, et fessum sublevant, et si nequit volare, succollant, quod eum servare volunt".

A. h. a. 624a, 27: *φασὶ δὲ καὶ ἐὰν ἀποπλανηθῇ ὁ ἀφεσμός, ἀνιχνευούσας μεταθεῖν, ἕως ἂν εὕρωσι τὸν ἡγεμόνα τῇ ὀσμῇ. λέγεται δὲ καὶ φέρεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ ἑσμοῦ, ὅταν πέτεσθαι μὴ δύνηται.* (Auctoris A.) — Maior discrepantia in eo est, quod apud Varronem apes a rege non aberraverunt.[2])

5. V. ibid. 9: „conficiunt quaedam ad vocem ut imitatione tubae".

A. h. a. 627a, 24: *ὄρθριαι δὲ σιωπῶσιν, ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβήσασα δὶς ἢ τρίς. τότε δ' ἐπ' ἔργον ἀθρόαι πέτονται, καὶ ἐλθοῦσαι πάλιν θορυβοῦσι τὸ πρῶτον, κατὰ μικρὸν δ' ἧττον, ἕως ἂν μία περιπετομένη βομβήσῃ ὥσπερ σημαίνουσα καθεύδειν· εἶτ' ἐξαπίνης σιωπῶσιν.* (Auctoris E.) — Certe Varronis verba eiusmodi, fortasse easdem res spectant.

6. V. ibid. 12: „(mellaria) esse oportet aere [et] temperato, neque aestate fervido neque hieme non aprico. ut spectet potissimum ad hibernos ortus".

A. h. a. 626b, 22: *τόπος δ' ἐν τῷ πνίγει μὴ ἀλεεινός, ἐν δὲ τῷ χειμῶνι ἀλεεινός* (Fortasse Aristotelis).

7. V. ibid. 13: „si pabulum naturale non est, ea oportet dominum serere, quae maxime secuntur apes. ea sunt rosa, serpyllon, apiastrum, papaver, faba, lens, pisum, ocimum, cyperum, medice, maxime cytisum, quod ⟨minus⟩ valentibus utilissimum est. cf. 10: „thymo et cytiso et apiastro". 14: „thymum".

A. h. a. 627b, 16: *φυτεύειν δὲ συμφέρει περὶ τὰ σμήνη ἀχράδας, κυάνους, πόαν Μηδικήν, Συρίαν, ὤχρους, μυρρίνην, μήκωνα, ἕρπυλλον, ἀμυγδαλῆν.* (Auctoris E.) — Complura apud utrumque inveniuntur: serpyllon (*ἕρπυλλον*), papaver (*μήκων*), faba (*κύαμοι*), pisum (fortasse *ὦχροι*), medice (*πόα Μηδική*), reliqua non sunt communia. Hoc ipsum, ni fallor, quomodo res se habeat, ostendit. Id enim, quod causa perspicua non est, cur, siquidem ceteris locis „Aristoteles" ex-

---

[1]) cf. geop. XV 3,7: *κυμβαλίζοντες ἢ τὰς χεῖρας εὐρύθμως κροτοῦντες.*

[2]) Quae Varro ibid. posuit: „extra ostium ... Graeci" omnino non conferre licet cum A. h. a. 624a, 13, sicut Gent. p. 109 vult, cum res prorsus diversae sint; cf. geop. XV 2,8.

scriptus est, hac in re subito „Varro“ ab eo recesserit, ab altera vero parte nihilominus complura congruunt, verisimiliter ea ratione explicatur, ut putemus compilatorem similem fontem expressisse ei, quem etiam „Varro“, hunc autem copiosiorem utroque fuisse.

8. V. ibid. 18: „praeterea ut animadvertat, ne reguli plures existant: inutiles enim fiunt propter seditiones“.

A. h. a. 553 b, 15: *εἰσὶ δὲ πλείους ἐν ἑκάστῳ σμήνει ἡγεμόνες καὶ οὐχ εἷς μόνος· ἀπόλλυται δὲ τὸ σμῆνος, ἐάν τε ἡγεμόνες μὴ ἱκανοὶ ἐνῶσιν (οὐχ οὕτω διὰ τὸ ἄναρχοι εἶναι, ἀλλ' ὥς φασιν, ὅτι συμβάλλονται εἰς τὴν γένεσιν τὴν τῶν μελιττῶν), ἐάν τε πολλοὶ ὦσιν οἱ ἡγεμόνες· διασπῶσι γάρ.* — Aristoteles auctorem sequitur, qui eis repugnaverat, qui sicut „Varronis“ auctor vetuerant plures in eadem alvo esse duces. Et quidem is, ut mihi videtur, opinionem suam comprobare studuerat ita, ut diceret, nisi satis multi duces essent, apes nimia libertate seditiosas fieri.[1]) Hanc causam Aristoteles validam esse non putat, itaque addit eam, quam etiam alii protulerant: *συμβάλλονται . . . μελιττῶν*. „Varro“ contra rectius certe opinionem ab Stagirita impugnatam amplexus est. Ne vero dicas „Varronem“, cum „plures“ poneret, cogitasse de verbis: *ἐάν τε πολλοί . . . γάρ*, velim legas ibid.: „(expedit mellario) cum duo (sc. reguli) sint ⟨in⟩ eadem alvo, interficere nigrum“, nec iam dubitabis, quin „Varro“ unum tantum regem in singulis alvis esse voluerit. Constat igitur ne hic quidem „Varronem“ Aristotelem, sed alterum sequi, qui sive conscius sive non opinionem illi contrariam laudabat. Prorsus idem cadit in locum proximum.

9. V. ibid.: „et quidam dicunt, tria genera cum sint ducum in apibus, niger, ruber, varius, ut Menecrates scribit, duo, niger et varius“ etc.

A. h. a. 553 a, 25: *τῶν δ' ἡγεμόνων ἐστὶ γένη δύο, ὁ μὲν βελτίων πυρρός, ὁ δ' ἕτερος μέλας καὶ ποικιλώτερος, τὸ δὲ μέγεθος διπλάσιος τῆς χρηστῆς μελίττης.* cf. ibid. 553 b, 14; 624 b, 21.[2]) — Aristoteles atque item noni libri auctor, qui verbotenus hunc exscripsit, tertiam opinionem de ducum generibus hic profert. Erant, qui putarent tria esse, scilicet nigros, varios, rubros; alii, qui duo tantum sicut Menecrates statuerent; nigros et varios; alii, qui item ac Menecrates duo esse vellent, sed non ita, ut nigris varios opponerent, sed ut hos sicut Aristoteles unum idemque genus esse dicerent, alterum rubrorum esse opinarentur. Illae duae opiniones apud nostrum commemorantur, Aristotelica deest. Quodsi Gentillius (l. l. p. 109) cum Keilio (comm. p. 290) putat illam tripartitionem, quam Varro priorem affert, ad Aristotelem redire, magnopere errat, nam Stagirita et hic et ceteris locis supra ad-

---

[1]) Ob eandem causam geop. auctor sicut Varro vetat plures esse regulos XV 2, 15: *χρὴ δὲ ἑκάστῳ σμηνίῳ ἕνα ἀπολείποντα τοὺς λοιποὺς ἀφανίζειν. συνιστάμεναι γὰρ πρὸς ἕκαστον αἱ μέλισσαι στασιάζουσι καὶ τῶν ἔργων ἀφίστανται.*

[2]) cf. geop. XV 2, 16: *τῶν δὲ βασιλέων οἱ μὲν ἄριστοί εἰσι τῇ χροιᾷ ξανθοί, μέγεθος ἡμιόλιον μελίσσης. οἱ δὲ δεύτεροι ποικίλοι, ὀλίγον ὑπομελαίνοντες, μέγεθος διπλάσιον.* geop. igitur faciunt cum Aristotele, quod attinet ad res. Verba non congruunt. Itaque eundem fere atque hic auctorem adisse videntur. cf. adnot. 2 p. 32.

scriptis expressis verbis duo statuit ducum genera. Res potius, sicut dixi, se habet, ut tres de eadem re opiniones hic nobis occurrant. Quod nihil miri habet, cum de eiusmodi quaestionibus apud antiquos maxime disputatum esse et ex loco modo absoluto et ex hoc et ex proximo eluceat.

10. V. ibid. 19: „de reliquis apibus optima est parva varia rutunda. fur qui vocabitur, ab aliis fucus, est ater et lato ventre“.

A. h. a. 553 b, 7: *εἰσὶ δὲ γένη τῶν μελιττῶν, ἡ μὲν ἀρίστη μικρὰ καὶ στρογγύλη καὶ ποικίλη, ἄλλη δὲ μακρὰ ὁμοία τῇ ἀνθρήνῃ, τρίτος δ' ὁ φὼρ καλούμενος (οὗτος δ' ἐστὶ μέλας καὶ πλατυγάστωρ), τέταρτος δ' ὁ κηφήν.* cf. ibid. 624 b, 25; 625 a, 14, qui loci verbotenus a compilatore expressi sunt. — Scriptores insigni modo in descriptione et optimae apis et furis ad verbum congruunt. Discrepant eo, quod Varro furem et fucum eundem esse dicit, cum Aristoteles eos distinguat. Gentillius (l. l. p. 109, adnot. 3) falso censet Varronem haud intellexisse, qua re fucus et fur differrent eamque ob rem distinctionem misisse. Immo hic quoque contrariae de eadem re opiniones proferuntur, de qua litem fuisse testatur Plinius (n. h. XI 57): „tunc et fucos abigunt. quamquam et de iis video dubitari propriumque iis genus esse aliquos existimare sicut furibus, grandissimis inter illos, sed nigris lataque alvo“. Itaque ne hoc quidem loco Aristoteles est exscriptus.

11. V. ibid.: „hae differunt inter se, quia ferae et cicures sunt. nunc feras dico, quae in silvestribus locis pascitant, cicures, quae in cultis. silvestres minores sunt magnitudine et pilosae, sed opifices magis“.

A. h. a. 624 b, 27: *διαφέρουσι δ' αἱ γενόμεναι τῶν μελιττῶν αἵτ' ἀπὸ τῶν τὰ ἥμερα νεμομένων καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ὀρεινά. εἰσὶ γὰρ αἱ ἀπὸ τῶν ὑλονόμων δασύτεραι καὶ ἐλάττους καὶ ἐργατικώτεραι καὶ χαλεπώτεραι.* (Auctoris B.) — Verba simillima sunt.

12. V. ibid. 24: „(apes carpere dicunt) ex olea arbore ceram“.

A. h. a. 624 b, 9: *τοῦ δὲ κηροῦ ἀνάληψις τεθεώρηται ἐπὶ τῶν ἐλαιῶν.* (Theophrasti.)

13. V. ibid. 28: „quod non omnis tempestas ad pastum prodire longius patitur, praeparandus cibus, ne tum melle cogantur solo vivere aut relinquere exinanitas alvos. igitur ficorum pinguium circiter decem pondo decoquont in aquae congiis sex, quas coctas in offas prope adponunt“.

A. h. a. 626 b, 6: *ὅταν δ' ὑπολίπῃ τὸ μέλι, τοὺς κηφῆνας ἐκβάλλουσι καὶ παραβάλλουσι σῦκα καὶ τὰ γλυκέα αὐταῖς.* (Incerti auctoris.) — Arist. certe non est „Varronis“ auctor.

14. V. ibid. 29: „cum examen exiturum est, quod fieri solet, cum adnatae prospere sunt multae ac progeniem ut in coloniam emittere volunt, ut olim crebro Sabini factitaverunt propter multitudinem liberorum, huius quod duo solent praeire signa, scitur: unum, quod superioribus diebus, maxime vespertinis, multae ante foramen ut uvae aliae ex aliis pendent conglobatae; alterum, quod, cum iam evolaturae sunt aut etiam inceperunt, consonant vehementer, proinde ut milites faciunt,

cum castra movent. quae primum exierunt, in conspectu volitant reliquas, quae nondum congregatae sunt, respectantes, dum conveniant".

A. h. a. 625b, 8 sq.: *ὅταν δ' ἄφεσις μέλλῃ γίγνεσθαι, φωνὴ μονῶτις καὶ ἴδιος γίνεται ἐπί τινας ἡμέρας, καὶ πρὸ δύο ἢ τριῶν ἡμερῶν ὀλίγαι πέτονται περὶ τὸ σμῆνος.* ibid. 627b, 13: *ὅταν δὲ κρέμωνται ἐξ ἀλλήλων ἐν τῷ σμήνει, σημεῖον γίνεται τοῦτο, ὅτι ἀπολείψει τὸ σμῆνος.* (Locus prior fortasse redit ad Theophrastum, de posteriore I. tacet.) — Quamquam Gentillius autumavit, „Aristoteles" auctor non est. Is enim nonnullas apes diebus antecedentibus circum alvos volitare dicit, contra apud Varronem hoc facere non videntur nisi eo temporis puncto, cum iam profecturae sunt. Tum apud A. plures dies proprium sonum edunt, qui apud V. iterum tunc demum auditur, cum abiturae sunt. Deinde A. eas in alvo pendere dicit, V. ante foramen. Postremo apud A. nihil legitur de eo, quod superioribus diebus, maxime vespertinis, ut uvae conglobatae sint. — Non omittam praedicare fortasse Varronem ipsum de vere sacro, quod dicebatur, cogitantem[1]) adiecisse verba „quod fieri solet . . . liberorum", nec non idem valet de eo, quod apes cum militibus castra moventibus comparantur, nam hoc est vere Romanum. Illa verba admodum poetae sunt, cum apibus mens ac consilium attribuatur.

15. V. ibid. 34: „exemptio (sc. mellis) cum est maior, neque universam neque palam facere oportet, ne deficiant animum".

A. h. a. 627a, 33: *ἀθυμότερον δ' ἐργάζονται, κἂν ἐλάττω καταλειφθῇ.* (Joach. tacet.)

16. V. ibid. 35: „providendum ne infirmiores a valentioribus opprimantur. eo enim minuitur fructus".

A. h. a. 625a, 27: *πολεμοῦσι δὲ σφόδρα αἱ μικραὶ τῷ γένει τῷ μακρῷ, καὶ πειρῶνται ἐκβάλλειν ἐκ τῶν σμηνῶν· κἂν ἐπικρατήσωσι, τοῦτο δοκεῖ ὑπερβολῇ γίγνεσθαι ἀγαθὸν σμῆνος.* (Auctoris B.) — Si recte *γένος μικρόν* infirmiores, *γένος μακρόν* valentiores dici puto — Varro enim verba satis ambigua facit nec video, quo altero modo distingui possint — ea, quae Varro profert, quasi conclusa sunt ex eis, quae compilator dicit. Si enim contrarium fit ac quod hic exponit, *κακὸν γίνεται τὸ σμῆνος.* Praeterea insigne id est, quod „Varro" pro consilio suo ex re, quam „Aristoteles" simpliciter narrat, praeceptum effecit.

Locis allatis iam, quid de fontibus efficiatur, videamus. — Aristotelem ipsum esse expressum, sicut Gentillius vult, haud scio an nemo iam dicturus sit. Hoc enim locis 8. 9. 10. adeo funditus evertitur, ut locum ad 1. adscriptum (596b, 15) omnino neglegere liceat, praesertim cum ne is quidem aut cum Varrone aut cum geoponicis (XV 3, 4) congruat. — Item res in Theophrasto se habet. Is enim in censum venit Ioachimo auctore locis 1. 12. fortasse 14. Locum 12 neglegere licet, cum minutias tantum exhibeat; loci 14 autem si revera Theophrastus auctor sit, a „Varrone" non est adhibitus, cum ea, quae auctores observaverunt, prorsus diversa sint. Restat igitur locus 1. Suo iure

---

[1]) cf. Schwegler, Röm. Gesch. I 240 sq.

Ioachim (l. l. p. 38) id ipsum, quod postea interiectum esse supra ostendimus, Theophrasto vindicavit. Quid ex ea re efficitur de auctore reliquorum huius loci verborum, quae certe ex uno eodemque opere hausta sunt? — Si ea, quae geop. XV 3, 4 (p. 73) et h. a. 625 b, 20; 626 a, 24 sq. exstant, comparamus, apparet fieri non posse, ut alterum ex altero fluxerit, atque item Aristotelis verba genuina 596 b, 16: *γλυκὺν ἐχούσῃ χυμόν* certe fortuito modo similia sunt geoponicis. Quibus enim aliis verbis idem exprimas? Reliquum est, ut putemus in geoponicis conservatum esse integrum illius operis fragmentum, quod Theophrastus *περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους* scripsit. Optime huc quadrant verba ipsa, contra id, quod Pseudo-Aristotelica, si ex geoponicon auctore vetere manassent, eius multo similiora essent quam nunc sunt,[1] ne hanc quidem opinionem verisimilem reddit. — Quae cum ita sint, certe hoc loco habemus excerptum ex opere et ab Aristotele et ab epitomatore et a Theophrasto alienum, in quod a „Varrone" sive ex Pseudo-Aristotele ipso sive, id quod potissimum credam, ex auctore quodam, qui Archelai ratione talia collegerat, fortasse ex hoc ipso haec mira res interiecta est. — De hoc auctore ignoto,[2] cui ne locos 8—10, 14 attribuamus, nihil obstat, ex reliquis locis non ita multum efficitur. Ioachimo auctore locus 2 redit ad D, 4 ad A, 6 fortasse ad Aristotelem, de 13 et 15 tacet. Tum auctoris E esse vult locos 3, 5, 7, ex quibus ultimo certe is est „Varronis" fons. Postremo locorum 11 et 16 auctor B est, qui verbis poeticis utitur. Quoniam maior similitudo intercedit inter noni libri compilatorem et Varronem locis 3, 4 (5) 6, 7, 11, 13, 15, 16, uberius a „Varrone" excerpti esse videntur auctor E, qui fortasse idem est atque auctor locorum 8—10, 14, et auctor B, quem poetam fuisse verisimile est.

Huius haud scio an nomen erui possit. Menecratem enim quendam[3] de apibus egisse et ex loco 9. apparet et ex verbis, quaer Plinius (n. h. XI 17) de apibus agens posuit: „Menecrates florem (sc. nucum Graecarum) esse dicit futurae messis indicium, sed nemo praeter eum." Eundum autem esse poetam Ephesium, quem Varro I 1, 9 appellat inter Cassii D. auctores, iam Keilius (comm. p. 290) recte statuit. Hunc igitur de apibus composuisse carmen didacticum constat, ac quaeritur, num praeter illum locum 9 etiam alicubi in Varronis opere expressus sit. Hoc quamquam verisimile est, tamen argumentis haud dubiis confirmari non potest. Satis enim debile esse id, quod iam allaturus sum, ipse concedo. Cum verba V. III 16, 4 sq. primum legerem, i. e.

---

[1]) Compilator velut Aristotelem 624 b, 21, 25 (cf. p. 30) ad verbum expressit.

[2]) Etiam Ioachim putat (l. l. p. 25, 31) illis temporibus exstitisse naturalem quandam historiam, ex qua compilator noni h. a. libri addiderit descriptiones vel suppleverit Theophrastum. Simile de Theophrasto (h. pl. VIII 1) statuit Iahnus, Rh. Mus. 1903 (vol. 58) p. 414.

[3]) Eundem si auctor noni h. a. libri exscripsit, efficitur, ut non post initium saeculi a. Chr. n. tertii vixerit, quod ea aetate compilator Joachimo auctore scripsit (cf. l. l. p. 52).

multo ante, quam ad hanc opinionem de Menecrate perveni, magnopere obstupefactus sum eo, quod eis imprimis color poeticus inest. Ut singula afferam, nonne poetae est apes cum hominibus conferre, societatem operis et aedificiorum, rationem et artem praedicare (§ 4), earum opus dulcissimum et deis et hominibus acceptum dicere (§ 5); eas habere ut homines civitates, ubi sit et rex et imperium et societas (§ 6); eas esse minime maleficas neque ignavas ac cum causa musarum volucres dici; eisdem, ut dis Helicona atque Olympum[1]) homines attribuerint, sic naturam floridos et incultos dedisse montes (§ 7); eas regi summam praestare fidem atque ut in exercitu vivere (§ 8)? Haec omnia adeo poetica sunt et quasi apium *ἠθοποιΐαν* summae laudis plenam continent, ut ea in carmine Menecrateo prolata fuisse, inde in Varronis opus fluxisse veri dissimile saltem non sit.

Quamquam non ignoro me ipsum sub 14 Varroni poetica quaedam attribuisse nec quicquam esse, cur Reatinum ipsum toto hoc loco colore poetico usum esse negemus, eamque ob rem mittamus coniecturas facere. Contenti enim esse debemus eo, quod neque Aristotelem neque Theophrastum neque compilatorem noni h. a. libri auctorem esse demonstravimus, sed potius verisimile esse ignotam illam historiam naturalem maxime esse expressam.

Itaque iam tertiam locorum seriem adiungamus:

V. II 1, 19: „equa enim ventrem fert duodecim menses, vacca decem, ovis et capra quinos, sus quattuor".

A. de gen. an. 748 a, 30: *ἐνιαυτὸν γὰρ κύει καὶ ἵππος καὶ ὄνος.* h. a. 575 a, 25: *κύει δ' ἐννέα μῆνας* (sc. *ἡ βοῦς*), *δεκάτῳ δὲ τίκτει. ἔνιοι δὲ διισχυρίζονται δέκα μῆνας κύειν ἡμερολεγδόν.* ibid. 573 b, 20: *κύει δὲ πέντε μῆνας καὶ πρόβατον καὶ αἴξ.* ibid. 573 a, 30: *αἱ μὲν οὖν ἥμεροι ὕες κύουσι τέτταρας μῆνας, τίκτουσι δὲ τὰ πλεῖστα εἴκοσιν.*

V. II 2, 4: „animadvertendum quoque lingua ne nigra aut varia sit, quod fere, qui eam habent, nigros aut varios procreant agnos."

A. h. a. 574 a, 5: *λευκὰ δὲ τὰ ἔκγονα γίνεται καὶ μέλανα, ἐὰν ὑπὸ τῇ τοῦ κριοῦ γλώττῃ λευκαὶ φλέβες ὦσιν ἢ μέλαναι, λευκὰ μὲν ἐὰν λευκαί, μέλανα δ' ἐὰν μέλαναι· ἐὰν δ' ἀμφότεραι, ἀμφότερα· πυρρὰ δ' ἐὰν πυρραί.* cf. de gen. an. 786 a, 28: *ὥστ' ἐπεὶ τῶν ποικίλων τὸ δέρμα οὐ μονόχρων, καὶ τοῦ ἐπὶ τῇ γλώττῃ δέρματος τοῦτ' αἴτιον.*

V. II 3, 6: „est alsiosum (sc. genus caprinum)".

A. h. a. 596 b, 5: *δυσχείμεροι δὲ καὶ αἱ οὖλαι* (sc. *αἶγες*).

V. II 4, 8: „verris octo mensum incipit salire, permanet [et], ut id recte facere possit, ad trimum".

A. h. a. 545 a, 30: *ὁ δ' ἄρρην γεννᾷ μὲν ὀκτάμηνος, φαῦλα μέντοι πρὶν γενέσθαι ἐνιαύσιος.* ibid. 545 b, 2: *ἐνιαχοῦ δ' οἱ κάπροι δεκάμηνοι ἄρχονται ὀχεύειν, ἀγαθοὶ δὲ μέχρι ἐπὶ τριετές.* cf. ibid. 546a, 7.

V. II 5, 7: „(armenta sint) oculis magnis et nigris".

A. de gen. an. 779 a, 29: *τούτου μὲν οὖν αἴτιον τὸ μονόχροα τὰ ὄμματα τῶν ἄλλων εἶναι μᾶλλον, οἷον οἱ βόες μελανόφθαλμοι.*

---

[1]) Hoc homo Graecus, non Romanus excogitavit.

V. II 5, 13: „non minores oportet inire bimas (sc. vaccas), ut trimae pariant, eo melius, si quadrimae“.

A. h. a. 575 a, 22: *ὀχεύει δὲ τὰ ἄρρενα καὶ ὀχεύεται τὰ θήλεα ἐνιαύσια ὄντα πρῶτον, ὥστε καὶ γεννᾶν· οὐ μὴν ἀλλὰ τό γ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐνιαύσιοι καὶ ὀκτάμηνοι, τὸ δὲ μάλισθ' ὁμολογούμενον διετεῖς.* — Varro igitur opinionem usitatissimam sequitur.

V. ibid.: „maxime idoneum tempus ad concipiendum a delphini exortu usque ad dies quadraginta aut paulo plus“.

A. h. a. 575 b, 15: *ἄρχονται δὲ τῆς ὀχείας περὶ τὸν Θαργηλιῶνα μῆνα καὶ τὸν Σκιροφοριῶνα αἱ πλεῖσται· οὐ μὴν ἀλλ' ἔνιαι καὶ μέχρι τοῦ μετοπώρου κυΐσκονται.*

V. II 5, 14: „de quibus admirandum scriptum inveni, exemptis testiculis si statim admiseris taurum, concipere (sc. vaccas).

A. h. a. 510 b, 3: *συνέβη δ' ἤδη ταῦρον ἐκτμηθέντα καὶ εὐθὺς ἐπιβάντα ὀχεῦσαι καὶ γεννῆσαι.* cf. ibid. 510 a, 35 sq. de gen. an. 717 b, 3 sq.: *καὶ ἤδη ταῦρός τις μετὰ τὴν ἐκτομὴν εὐθέως ὀχεύσας ἐπλήρωσε διὰ τὸ μήπω τοὺς πόρους ἀνεσπάσθαι.*

V. II 6, 4: admittuntur (sc. asinae) ante solstitium, ut eodem tempore alterius anni pariant; duodecimo enim mense conceptum semen reddunt“.

A. de gen. an. 748 a, 26: *διὰ ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν καὶ τὰ ὀχεῖα ἐπιβάλλουσι τοῖς ὄνοις οὐχ ὥσπερ τοῖς ἵπποις κατ' ἰσημερίαν, ἀλλὰ περὶ τροπὰς θερινάς, ὅπως ἐν ἀλεεινῇ γίνηται ὥρᾳ τὰ πωλία· ἐν τῇ αὐτῇ γὰρ γίνεται, ἐν ᾗ ἂν ὀχευθῇ· ἐνιαυτὸν γὰρ κύει καὶ ἵππος καὶ ὄνος.* cf. h. a. 577 a, 24.

V. II 7, 2: „aetas cognoscitur et equorum et fere omnium, qui ungulas indivisas habent et etiam cornutarum, quod equus triginta mensibus primum dentes medios dicitur amittere, duo superiores, totidem inferiores. incipientes quartum agere annum itidem eiciunt et totidem eiciunt proxumos eorum, quos amiserunt, et incipiunt nasci, quos vocant columellares. quinto anno incipiente item eodem modo amittere binos, cum cavos habeat tum renascentes, ei sexto anno inpleri, septumo omnes habere solet renatos et conpletos“.

A. h. a. 576 a, 6 sq.: *ἔχει μὲν οὖν ὀδόντας τετταράκοντα* (sc. *ὁ ἵππος*), *βάλλει δὲ τοὺς μὲν πρώτους τέτταρας τριακοντάμηνος τοὺς μὲν δύο ἄνωθεν τοὺς δὲ δύο κάτωθεν. ἐπειδὰν δὲ γένηται ἐνιαυτός, βάλλει τὸν αὐτὸν πρόπον τέτταρας, δύο μὲν ἄνωθεν, δύο δὲ κάτωθεν, καὶ πάλιν ὅταν ἐνιαυτὸς γένηται, ἑτέρους τέτταρας τὸν αὐτὸν τρόπον, τεττάρων δ' ἐτῶν παρελθόντων καὶ ἓξ μηνῶν οὐκέτι βάλλει οὐδένα.* ibid. 575 b, 7: *τοὺς δ' ὀδόντας βάλλει βοῦς διετής, καὶ οὐκ ἀθρόους ἀλλ' ὥσπερ ἵππος.* cf. geop. XVI 1, 12—16. — „Varro“ aperte uberiorem fontem Aristotele adiit.

V. II 7, 11: „alternis qui admittant, diuturniores equas, meliores pullos fieri dicunt, itaque ut restibiles segetes esse exuctiores, sic quotannis quae praegnates fiant“.

A. h. a. 576 b, 28: *ὅταν δὲ τέκῃ ἡ ἵππος, οὐκ εὐθὺς μετὰ τοῦτο πίμπλαται, ἀλλὰ διαλείπει χρόνον, καὶ τίκτει ἀμείνω τετάρτῳ ἢ πέμπτῳ ἔτει μετὰ τὸν τόκον. ἕνα δ' ἐνιαυτὸν καὶ πάμπαν ἀνάγκη διαλείπειν καὶ ποιεῖν ὥσπερ νειόν.* — Uterque scriptor equam alternis tantum annis admissam cum agro restibili comparat. Quod si Aristoteles primus fecisset, haud dubie eum hic „Varro“ expressisset. Sed hoc quis affirmet?

V. II 8, 2: „uterque eorum (i. e. mulus et hinnus) ad usum utilis, partu fructuosus neuter“.

A. de gen. an. 746 b, 14: *οἱ δ' ὀρεῖς ἄγονοι μόνοι τῶν τοιούτων· οὔτε γὰρ ἐξ ἀλλήλων οὔτ' ἄλλοις μιγνύμενοι γεννῶσιν.* contraria leguntur h. a. 577 b, 19.

V. II 9, 11: „praegnates enim solent esse ternos menses (sc. canes)“.

A. h. a. 574 a, 28: *ἔνιαι δὲ κύουσι μὲν τέταρτον μέρος τοῦ ἐνιαυτοῦ (τοῦτο δ' ἐστὶ τρεῖς μῆνες ὅλοι)*; aliae ibid. LX, aliae LXXII dies gravidae esse dicuntur.

V. II 11, 2: „a mulgendo atque ortu optimum est id, quod neque nimium longe abest a mulso neque a partu continuo est sumptum“.

A. h. a. 522 a, 3: *ὅταν δ' ἔγκυον ᾖ, γίνεται μὲν* (sc. *γάλα*), *ἄχρηστον δὲ τὸ πρῶτον.*

V. III 6, 4: „praeterea ova emit ac supponit gallinis“.

A. h. a. 564 b, 2 sq.: *ἀλεκτορίδι δ' ὑποτιθέασιν αὐτῶν τὰ ᾠὰ ἐπῳάζειν οἱ τρέφοντες διὰ τὸ τὸν ἄρρενα τῆς θηλείας τοῦτο δρώσης ἐπιπετόμενον συντρίβειν.*

V. III 7, 9: „et hoc fere totum annum faciunt (i. e. incubant)“.

A. h. a. 544 b, 7: *τίκτουσι δ' αἱ περιστεραὶ πᾶσαν ὥραν καὶ ἐκτρέφουσιν.*

V. III 10, 3: „incubat (sc. anser) tempestatibus dies triginta, tepidioribus XXV“.

A. h. a. 563 a, 27: *ἐπῳάζει δὲ περὶ τριάκονθ' ἡμέρας· καὶ τῶν ἄλλων δὲ τοῖς μεγάλοις ὁ χρόνος τοσοῦτός ἐστι τῆς ἐπῳάσεως, οἷον χηνὶ καὶ ὠτίδι.*

V. III 12, 4: „etenim saepe, cum habent catulos recentes, alios in ventre habere reperiuntur“.

A. h. a. 579 b, 32: *οἱ δασύποδες . . . ἐπικυΐσκονται ὅταν κύωσι καὶ τίκτουσι κατὰ μῆνα.* cf. de gen. an. 774 b, 2.

Primo obtutu apparet omnibus fere his locis res satis viles atque omnibus harum rerum peritis notas in censum venire, quae non minus bene atque etiam commodius, ni fallor, ex alio quolibet opere de rebus pecuariis conscripto hauriri potuerunt. Hi loci si soli cum Aristotele conferri possent, sane nihil esset, cur eos ex hoc fluxisse negaremus, quamquam ne ab altera quidem parte ulla re cogeremur, utique pro Aristotelicis eos habere. Hoc enim tunc demum necessario putaremus, cum aut ampliora verbotenus aut mere Aristotelica essent translata. Sed hoc nusquam fit. Itaque cum et primo et secundo genere appareat Aristotelem prorsus esse neglectum, equidem censeo patere ne hos

quidem locos ex eo esse haustos. Id est: (Pseudo-)Aristoteles in rebus pecuariis a „Varrone" omnino non est expressus, sed, ubicunque cum Varrone magis minusve congruit, hoc explicatur aut fontium neccessitudine[1]) aut eo, quod de rebus quibusdam necessario idem ponere debebant, nisi alter falsa scribere volebat. Hoc etiam comprobari videtur eo, quod eiusmodi rerum uno tantum loco Aristoteles auctor laudatur, cum Theophrasto in quinque paragraphis quaedam recte attribuantur. Quodsi ex tota indole manifestum est illo loco Varronem Aristotelem non apud auctorem laudatum invenisse, sed ipsum demum pro fonte habuisse, haud scio an verisimile sit Aristotelem a Varronis auctore in verborum quidem contextu omnino non esse laudatum. Nam alias certe Varro sicut in Theophrasto (cf. adnot. 3 p. 46) nullam occasionem Aristotelis nominatim afferendi praetermisisset.

De quaestione ad nos maxime pertinente, scilicet utrum Varro ipsos fontes primos adierit an ex auctore secundo hauserit, doleo quod ex his tribus locorum generibus nihil efficitur, nisi forte de secunda cohorte inde, quod Varro III 2, 13 Magonem et Cassium D. solos nominatim auctores rerum hoc libro tractatarum commemorat, verisimile fieri dicas haec ex Cassio D. esse hausta. Verisimillimum etsi hoc est, tamen solum ad persuadendum non sufficit. Quid respondendum sit, ex analogia, ut ita dicam, infra haud ambigue efficietur.

Restant pauci illi loci, quos Cassius D. ex oeconomicis Pseudo-Aristotelicis sumpsit quosque inde Varro in primum librum recepit.[2]) Non habeo, quod de his locis iam a Gentillio l. l. p. 104/105 expressis addam nisi id, quod Cassius Dionysius, etiam si hos tantum locos spectavit, ne mentitus quidem est, cum in auctoribus suis Aristotelem quoque numeravit. Quod expressis verbis commemorandum esse puto, ut clarum fiat ne minimam quidem esse causam, cur genuina Aristotelis opera in fontibus esse putemus.

§ 3. Priusquam vero ad Theophrastum transeam, absolvam ea, quae de Archelao[3]) a Varrone quattuor locis laudato commemoranda esse mihi videntur. Nemo neget apud Varronem Archelaum omnibus locis eundem dici, nec magis quisquam dubitet, quin idem sit, cuius Antigonus Carystius (hist. mirab. XIX [23]) mentionem facit his verbis: *καί τις Ἀρχέλαος Αἰγύπτιος τῶν ἐν ἐπιγράμμασιν ἐξηγουμένων τὰ παράδοξα τῷ Πτολεμαίῳ κτλ.*, praesertim cum epigramma de vespis teste Antigono ab eodem compositum:

ἐκ νέκυος ταύτην ἵππου γράψασθε γενέθλην,
σφῆκας· ἴδ' ἐξ οἵων οἷα τίθησι φύσις,

---

[1]) Simile statuerunt de Theophrasto et Dioscuride Stadler (Abhandlg. f. W. v. Christ zum 60. Geburtstag 1891 p. 176 sq.) et Wellmannus (Festschrift f. Susemihl 1898 p. 1 sq.).

[2]) Sunt hi: V. I 12, 1 (oec. 1345 a, 31), ibid. 17, 3 (oec. 1344 b, 11), V. ibid. 17, 5 (oec. 1344 b, 18), V. ibid. (oec. 1344 b, 17), V. ibid. 17, 7 (oec. 1344 b, 7. cf. 1344 a, 29 sq.).

[3]) De Archelao Pseudo-Orphei epitomatore cf. Susemihl, l. l. p. 465. Fragmenta collegit Westermann, paradox. gr. p. 158—160.

prorsus eadem indole sit, qua epigrammatis hexameter a Varrone III 16, 4 Archelao adscriptus:

ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι,

et antea hexametri pars:

βοὸς φθιμένης πεπλανημένα τέκνα.

Quin etiam, quomodo eius opus inscriptum fuerit, scimus ex Plinii verbis quibusdam. Is enim haud dubie hunc Archelaum affert inter auctores libri nat. hist. XXVIII scribens: „Ex auctoribus . . . Orpheo qui ἰδιοφυῆ (sc. scripsit), Archelao qui item". Hoc igitur opere narrabantur mirae res similiter atque in Antigoni ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ, id quod confirmatur et epigrammatum partibus ex Varrone modo allatis et reliquis locis:

V. II 3, 5: „de quibus (sc. capris) admirandum illut, quod etiam Archelaus scribit: non ut reliqua animalia naribus, sed auribus spiritum ducere solere pastores curiosiores aliquot dicunt"; III 11, 4: „perdices, quae, ut Archelaus scribit, voce maris audita concipiunt"; ibid. 12, 4: „itaque de iis (sc. leporibus] Archelaus scribit, annorum quot sit qui velit scire, inspicere oportere foramina naturae, quod sine dubio alius alio habet plura". Manifestum igitur est etiam Archelaum a „Varrone" esse expressum. Restat, ut inquiramus, quae ratio inter Aristotelem et Archelaum intercedat numque plura ex his Varronis libris ad hunc redire verisimile sit. — Quantum attinet ad illud, cum primo ex locis modo allatis conferenda sunt haec Aristotelis verba h. a. 492 a, 14: Ἀλκμαίων γὰρ οὐκ ἀληθῆ λέγει φάμενος ἀναπνεῖν τὰς αἶγας κατὰ τὰ ὦτα. Stagirita igitur eandem rem iure respuit, quam Archelaus teste „Varrone" iudicio neglecto exhibuit. Hac re offendi non licet, nam Archelai eiusmodi res indagantis minime intererat talia ut ridicula redarguere, sed quam plurima colligere, eamque ob rem hic Aristotelis locus opportunissime ei occurrit, siquidem eum perlegit. Etsi enim hoc per se verisimillimum est, praesertim cum similiter etiam Antigonus Carystius Aristotelis historias animalium hoc consilio perscrutatus sit,[1]) tamen pro certo id statuere audacis esse mihi videtur, cum ex ipso Aristotelis loco appareat eandem rem iam antea esse narratam ab Alcmaeone, ex quo non minus bene quam ex illo Archelaus eam haurire potuit. Neque hac in quaestione nos iuvat alter Aristotelis locus, qui est conferendus cum V. III 11, 4. Legimus enim h. a. 541 a, 26: [αἱ δὲ πέρδικες ἂν κατ' ἄνεμον στῶσιν αἱ θήλειαι τῶν ἀρρένων, ἔγκυοι γίνονται· πολλάκις δὲ καὶ τῆς φωνῆς ⟨ἀκούουσαι⟩, ἐὰν ὀργῶσαι τύχωσι, καὶ ὑπερπετομένων ἐκ τοῦ καταπνεῦσαι τὸν ἄρρενα . . .]. Neque enim in historia neque in generatione animalium tractanda Aristoteles fuit quasi εὑρετής, sed iam ante eum permulti de eisdem rebus scripserant. Nec dubitari potest, quin Aristoteles in componendis his operibus eos fontes hic illic exscripserit modo secutus modo repugnans. Quod ita se habere, quicunque haec Aristotelis volumina pervolvit, adeo non negabit, ut supervacaneum esse mihi videatur locis allatis hoc con-

---

[1]) cf. Christ, Griech. Literaturgesch. ed. 4 § 430 (p. 621); Joachim l. l. p. 11.

firmare.[1]) Nihil igitur est, cur negemus fieri potuisse, ut Archelaus etiam hanc rem indidem sumeret, unde Aristoteles hausit. Quod utro modo se habeat, haud scio an diiudicari posset, si plures Archelai loci cum Stagirita congruerent. Sed hoc non fit. Neque enim res, quae ab Archelao illis duobus epigrammatis narrantur, neque ea, quam Varrone teste (III 12, 4) de leporibus prodidit, neque id, quod Plinio teste (n. h. VIII 202) „Varro" II 3, 5: „numquam enim sine febri sunt (sc. caprae)" indidem certe hausit, apud Aristotelem mihi occurrit. Unde e contrario apparet Archelaum simillimas res aliunde petivisse. — Quae cum ita sint, negans pro certo poni licere illis duobus locis Aristotelem ab Archelao esse expressum, iam transeo ad inquirendum, num praeter locos Archelao ab ipso Varrone adscriptos etiam plures ei attribuendi sint. Certe. Similia quinque paradoxa, ut voce Graeca utar, collegi p. 17, nec fortuito factum esse potest, quod inter ea sunt duo, quae certe Archelao vindicare licet. Nec non item paradoxon prorsus eiusdem generis dicas, quod legitur II 1, 19 (p. 24) et II 5, 13 (p. 24), cuius similia sunt verba II 5, 14 (p. 34), et II 7, 9 (cf. A. h. a. 630 b, 32 sq. Plin. n. h. VIII 154—158). Plura ad Archelaum redire non videntur, cum is sicut Pseudo-Orpheus praeter animalia fortasse non egerit nisi de plantis „singulari quadam potestate vel ad medendum vel ad nocendum praeditis",[2]) talia vero apud Varronem non proferantur.

§ 4. Itaque iam nos convertamus ad magnum Aristotelis discipulum, Theophrastum scilicet Eresium. Cuius ex operibus nobis res est cum „historiae plantarum libris IX" et „de causis plantarum libris VI". Sicut in Aristotele, in hoc quoque opus est locos digerere, et quidem iterum tria genera statuenda sunt. Primum continet eos locos, quibus Varro a Theophrasto in eisdem rebus discrepat, ita ut hic auctor esse nequaquam possit; secundum eos, de quibus magis minusve dubites propterea maxime, quod sicut Aristoteles etiam Theophrastus interdum auctoribus quibusdam procul dubio usus est, ita ut certas ob res de communi fonte cogitare hic illic liceat; tertium constat eis, quibus Theophrastus certe est exscriptus. Hac igitur in re discrimen exstat maximum inter Aristotelem et Theophrastum, quod, quin hic amplius sit expressus, dubitari non potest.

Primo primi generis loco agitur de re, de qua antiqui magno studio disputaverunt, nempe de qualitate terrae. Hanc quaéstionem eis magni fuisse momenti et inde apparet, quod Varro permulta de hac re exponit neque aliter Theophrastus c. pl. II 4, 1 sq., qui auctores laudat Menestorem ibid. § 3, Leophanem ibid. § 11. — Varro I 9, 5 tres species statuit: macram, pinguem, mediocrem terram, ac negans tenuem plerisque plantis prodesse, § 6 scribit: „contra in agro pingui . . . licet videre et segetes fructuosas ac restibilis et arbores prolixas et omnia sine musco. in mediocri autem terra . . . quo propius accedit,

[1]) cf. Poschenrieder, Die naturwissenschaftlichen Schriften des Arist. in ihrem Verhältnis zu den Büchern der hippokrat. Sammlg., Bamberg. Progr. 1887.
[2]) cf. Lobeck, Aglaoph. I p. 751; Westermann l. l. p. 158—160.

ut non sit macra quam ut sit ieiuna, eo ad omnes res commodior, quam si inclinabit ad illud, quod deterius".

Theophrastus contra haec docet c. pl. I 18, 1: *Ἐν τῷ αὐτῷ δέ πως γένει τῆς αἰτίας ἐστὶ καὶ τὸ μὴ τὴν ἀρίστην καὶ πίειραν καὶ βαθύγειον ἀρίστην εἶναι τοῖς δένδροις ἀλλὰ τὴν δευτέραν, τῷ δὲ σίτῳ ἐκείνην.* cf. c. pl. II 4, 2. Mediocrem autem spectant haec verba c. pl. II 4, 9: *ὡς δ' ἁπλῶς εἰπεῖν ἡ μέσην ἔχουσα τῶν ἐναντίων κρᾶσιν πυκνοῦ καὶ ἀραιοῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ καὶ κούφου καὶ βαρέος, ἔτι δὲ τὰ ἄνω πρὸς τὰ κάτω σύμμετρα τούτοις πασῶν ἀρίστη πρὸς ἅπαντα ὡς εἰπεῖν δένδρα τε καὶ σπέρματα . . . οὐ μὴν ἀλλ' αὐτῶν γε τούτων ἡ πρὸς θάτερον ἀποκλίνουσα τῆς ἐναντιώσεως κρείττων, ἣν δὴ καὶ ἁπλῶς τίθενταί τινες ἀρίστην κτλ.* cf. c. pl. III 6, 8. — Quamquam Theophrastus et Varronis auctor fortasse eandem terram optimam dixerunt, tamen adeo non eadem vel similia signa afferuntur, ut illum esse expressum non credam, praesertim cum de terra pingui prorsus dissentiant.

Iam afferam exemplum, quo dilucide apparet, quam incredibili neglegentia Gentillius has quaestiones instituerit. Scribit Varro I 29, 2: „terram cum primum arant, proscindere appellant, cum iterum, offringere dicunt . . . tertio cum arant iacto semine, boves lirare dicuntur . . . non nulli postea, qui segetes non tam latas habent . . . per sartores occare solent".

Hae quattuor arationes, ut ita dicam, unius sementis causa fiunt, ac persuasum habeo Varronem omnia, quae inde a verbis § 1: „seges dicitur . . ." usque ad finem capitis profert, de suo adiecisse ad ea, quae apud auctorem invenit. Dubito enim, an verus agricola eiusmodi res vilissimas omnino addiderit, ab altera vero parte haec omnia sapiunt Varronem, qui de lingua latina egit, ita ut haec ei ipsi attribuere non verear. Eandem ob causam non dubito totum caput I 48 nostro adscribere. — His cum verbis Gent. (l. l. p. 124) contulit haec Theophrasti c. pl. III 20, 8: *καὶ ὅταν μετὰ τοὺς πρώτους ἀρότους νεάσωσι πάλιν τοῦ ἦρος, μεταβάλλουσιν ὅπως τὴν ἀναφυομένην πόαν ἀπολέσωσιν, εἶτα θέρει ἀροῦσι καὶ πάλιν ὅταν μέλλωσι σπείρειν ὑπήροσαν . . . αὕτη μὲν οὖν τῆς χώρας ἡ κατεργασία.* Quod igitur hic etiam de quattuor arationibus verba fiunt, Gentillius Varronem inde pendere censuit.

V. I 31, 2: „ideo in vitiario primitus cum exit vitis, tota resicari solet, ut firmiore sarmento e terra exeat atque in pariendis colibus vires habeat maiores".

Contra Th. c. pl. III 7, 3: *ἅπαν δὲ φυτὸν ὅταν ἐκβλάστῃ τὸ πρῶτον, ἐὰν ῥιζωθῆναι μηδὲν κινοῦντα τῶν ἄνω καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀμπέλων ποιοῦσιν ἀφιέντες τὰς ῥάχους, εἶθ' ὅταν ἰσχύωσιν, τότε περιαιρεῖν τὰ ἄνω καταλιπόντα τὰ κάλλιστα καὶ τὰ ἐπιτηδειότατα πεφυκότα (κατὰ γὰρ τὰ δένδρα τοῦτ' ἀναγκαῖον οὐδ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἀφαιρεῖν ἐνδέχεται πάντα καὶ τέμνειν ἰσόγεων).* Opportune accidit, quod praeter ea, quae notavi, Theophrastum non esse auctorem confirmant haec Columellae verba IV 10, 2: „Ideoque praedicti auctores (scil. Mago, Celsus, Atticus) primitias vitis resecare censuerunt". Redeunt igitur ad Magonem. Nec dubito, quin verba

V. ibid. 2: „pampinare ... sucum", cum artissime cum his cohaereant et loci Theoprastei (c. pl. III 14, 7—8) has res spectantis prorsus alia sit indoles, indidem fluxerint. Locus a Gentillio allatus (c. pl. III 5, 5) nihil valet.

V. I, 38, 1: „stercus optimum scribit esse Cassius volucrium praeter palustrium ac nantium: de hisce praestare columbinum, quod sit calidissimum ac fermentare possit terram ... Cassius secundum columbinum scribit esse hominis, tertio caprinum et ovillum et asinium, minime bonum equinum, sed in segetes: in prata enim vel optimum, ut ceterarum veterinarum, quae hordeo pascuntur, quod multam facit herbam".

Prorsus aliam stercoris scalam Theophr. affert h. pl. II 7, 4: *δριμυτάτη δὲ ἡ τοῦ ἀνθρώπου* (sc. *κόπρος*)· *καθάπερ καὶ Χαρτόδρας ἀρίστην μὲν ταύτην εἶναί φησι, δευτέραν δὲ τὴν ὑείαν, τρίτην δὲ αἰγός, τετάρτην δέ προβάτου, πέμπτην δὲ βοός, ἕκτην δὲ τὴν λοφούρων.* cf. c. pl. III 6, 2.

V. I 59, 3: „punica mala et in harena iam decerpta ac matura et etiam immatura, cum haereant in sua virga et demiseris in ollam sine fundo, eaque si coieceris in terram et obleris circum ramum, ne extrinsecus spiritus adflet, ea non modo integra eximi, sed etiam maiora, quam in arbore unquam pependerint".[1])

Th. c. pl. V 6, 1: *τὰ δὲ τῶν καρπῶν μεγέθη τῶν κατορυττομένων ἐν ταῖς χύτραις ὅταν κατάγωσι τοὺς ἀκρεμόνας, οἷον ῥοῶν καὶ μήλων εὐλόγως γίνεται. τό τε γὰρ ὑπὸ τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ ἀέρος ἀφαιρούμενον ἡ χύτρα κωλύει ἀποστέγουσα καὶ ἅμα τὴν ἐκ τῆς γῆς ἕλκει νοτίδα δι' ἧς τρέφεται.* Ut „Varro" Theophrastum exscripserit, fieri non potest propterea, quod fons eandem rem accuratius ac melius hoc exposuit.

Primo locorum genere absoluto ad secundum nos convertimus.

V. I 16, 6: Praedicans ad fundi fructum etiam id valere, quibus plantis vicinus ager consitus sit, Varro haec ponit: „si enim ad limitem querquetum habet, non possis recte secundum eam silvam serere oleam, quod usque eo est contrarium natura, ut arbores non solum minus ferant, sed etiam fugiant, ut introrsum in fundum se reclinent, ut vitis adsita ad holus facere solet".

Th. h. pl. IV 16, 6 similia profert: *ἔνια δὲ οὐ φθείρει μέν, χείρω δὲ ποιεῖ ταῖς δυνάμεσι τῶν χυλῶν καὶ τῶν ὀσμῶν οἷον ἡ ῥάφανος καὶ ἡ δάφνη τὴν ἄμπελον. ὀσφραίνεσθαι γάρ φασι καὶ ἕλκειν. δι' ὃ καί, ὅταν ὁ βλαστὸς πλησίον γένηται, πάλιν ἀναστρέφειν καὶ ἐκχωρεῖν ὡς πολεμίας οὔσης τῆς ὀσμῆς.* cf. c. pl. II 18, 4; geop. XII 17, 20.

V. I 23, 2: „rectius enim in tenuiore terra ea, quae non multo indigent suco, ut cytisum et legumina praeter cicer (sc. seruntur) ...

---

[1]) His verbis idem accuratius exponitur, quod iam antea est allatum ibid. „in oporotheca (mala) manere putant, mala punica demissis suis surculis in dolio harenae", et quidem dubitari non potest, quin illa verba sint adiecta ad auctorem, ex quo brevior haec eiusdem praecepti forma est. Diiudicari non potest, utrum Varro an Cassius D. interposuerit.

in pingui rectius, quae cibi sunt maioris, ut holus, triticum, siligo, linum. § 3. quaedam etiam serenda non tam propter praesentem fructum, quam in annum prospicientem ... itaque lupinum, cum minus siliculam cepit, et non nunquam fabalia, si ad siliquas non ita pervenit, ut fabam legere expediat, si ager macrior est, pro stercore inarare solent".

Th. h. pl. VIII 9, 1: *καρπίζεται τὴν γῆν μάλιστα πυρός, εἶτα κριθή, δι' ὃ καὶ ὁ μὲν ἀγαθὴν ζητεῖ χώραν, ἡ δὲ κριθὴ δύναται καὶ ἐν ταῖς ψαφαρωτέραις ἐκφέρειν.*[1]) *τῶν δὲ χεδροπῶν μάλιστα ἐρέβινθος καίπερ ἐλάχιστον χρόνον ἐν τῇ γῇ μένων. ὁ δὲ κύαμος ὥσπερ ἐλέχθη καὶ ἄλλως οὐ βαρὺ καὶ ἔτι κοπρίζειν δοκεῖ τὴν γῆν διὰ μανότητα καὶ εὐσηψίαν. δι' ὃ καὶ οἱ περὶ Μακεδονίαν καὶ Θετταλίαν ὅταν ἀνθῶσιν ἀνατρέπουσι τὰς ἀρούρας.* — Intercedunt inter hos locos rationes, quae conexum quendam esse ostendunt. Forte enim vix factum est, ut plantis, quae humum magis minusve exsugunt, tractatis ad fabalia transiretur, neque ut Varro diceret triticum maioris esse cibi similiter ac Th. loco adnotato: *πυροὶ τροφῆς πλείονος καὶ σωματωδεστέρας,* neque ut ciceri praecipuus locus inter legumina ab utroque scriptore attribueretur. Sed tamen id, quod Varronis auctor cytisum ad legumina adiecit, ad triticum item addidit holus, siliginem, linum, contra hordeum omisit, efficit, ut dubitem Varronis verba ad Theophrastum referre. Quo accedit, quod apud hunc fabalia, cum florent, apud illum, si minus ad siliquas pervenerunt, inarantur.

V. I 35, 1: „quae iam egit radicem rosa, ea caeditur in virgulas palmares et obruitur".

Th. h. pl. VI 6, 6: *φύεται μὲν οὖν ἡ ῥοδωνία καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος . . . οὐ μὴν ἀλλὰ διὰ τὸ βραδέως παραγίνεσθαι κατακόπτοντες ὡς ἐλέχθη τὸν καυλὸν φυτεύουσιν.*

V. I 44, 3: „In Olynthia [quotannis] restibilia esse dicunt, sed ita, ut tertio quoque anno uberiores ferant fructus".

Th. c. pl. I 20, 4: *ἐν γοῦν τῇ Ὀλυνθίᾳ φασὶν ὡς ἀεί τι καρποφορεῖ, παραλλαγὴν δὲ ποιοῦνται κατὰ τριετίαν.* — Verba Varronis eadem fere sunt, neque id premi licet, quod V. de segetibus, Th. de oleis ea facit. Vox media „*παραλλαγή*" recte in melius conversa esse videtur. De quaestione ad nos pertinente nihil efficitur.

V. I 44, 4: „itaque si florem acerbumve pirum aliudve quid decerpseris, in eodem loco eodem anno nihil renascitur, quod praegnationes idem bis habere non potest, ut enim mulieres habent ad partum dies certos, sic arbores ac fruges".[2])

---

[1]) cf. c. pl. III 21, 2.

[2]) Plantae etiam paulo ante cum animalibus his in rebus conferuntur. Sed sententiae, quae his verbis uberius exponatur, equidem apud Varronem nullum video vestigium, cum apud Th. verba allata suo loco legantur. Efficitur ea re, ut haec apud Varronem satis misere interposita sint. Quod duabus rationibus explicari potest: Aut, id quod potissimum credam, Diophanes, qui certe multa delevit, verba quaedam, quibus bonus sententiarum ordo constituebatur, in epitoma sua omisit nec reliquit nisi hanc miram rem, aut ab initio haec verba sententiarum conexu neglecto huc erant interiecta sive a Varrone

Th. c. pl. I 14, 1—2: *διὰ τοῦτο γὰρ οὐδ' ἐάν τις ἀφέλῃ τὸν καρπὸν ἢ ἄνθος, δύναται πάλιν ἕτερα γεννᾶν διὰ τὸ μὴ λαμβάνειν τὸν τῆς κυήσεως χρόνον· οὐ γάρ οἷόν τε ἄνευ τοῦ κυῆσαι γεννᾶν ἐξανηλωμένου τοῦ προϋπάρχοντος.* — Inter hos locos artum conexum exstare nemo non videt. Non enim solum eo congruunt, quod prima Varronis verba verbotenus fere Theophrasto respondent et quidem ita, ut ipsum *διὰ τοῦτο,* quod quid apud nostrum sibi velit, non video, translatum sit, sed etiam id commune est, quod arbores cum animalibus comparantur. His rebus commotus Keilius (comm. p. 105) dixit Varronem Theophrastum expressisse, eumque sequitur Gentillius (l. l. p. 120). Quamvis vero similes hi loci sint, tamen sunt discrimina, ex quibus maximum est id, quod Th. aperte de arboribus biferis verba facit, V. contra procul dubio non cogitavit nisi de semel ferentibus. Illud elucet ex verbis § 1: *τὸ δ' ἐπὶ . . . κύησιν,* hoc misso eo, quod biferarum nulla fit mentio, et ex verbis „quod praegn. . . . potest", quae recta non sunt nisi in semel ferentibus, et inde, quod arbores non sicut apud Th. cum ovibus bis quotannis praegnatibus, sed cum mulieribus comparantur. — Hoc discrimen positum est in eo, quod Th. prorsus aliter ac V. quaesivit. Ille enim quaerit: „Quomodo fit, ut arbores biferae, si fructus prior praemature aufertur, alterum eodem loco eodem anno non procreent"? Respondetur: „Quod biferae sicut oves novum fructum non pariunt, nisi prior plane perlatus est (cf. *εὐτοκήσαντα καὶ εὐγονοῦντα*) eamque ob rem altera *κύησις*[1]) suo tempore fit". Hoc continuo ad semel ferentes conferri non potest, cum hae ne perlato quidem partu alterum fructum eodem anno pariant. Itaque V., ut nunc quidem putare debemus, rem sic instituit: „Quomodo fit, ut flore, fructu, aliis rebus (velut folio, gemma) praemature[2]) decerptis nova non oriantur"? Affert duas causas, scilicet priorem falsam: „quod praegn. . . . non potest". Si enim Theophrasti doctrinam perspectam habuisset, hoc vix posuisset, cum hoc ipsum loco supra laudato Th. tractet. Immo sic fere scribere debuit: „quod idoneum praegnationis tempus iam non est". Altera causa aliquatenus est recta: „ut enim . . . fruges". Aliquatenus inquam, recte enim ea hic non affertur, nisi antea aut ita, ut proposui, legitur, quoniam verbis „ut enim" indicatur ea, quae antecedunt, accuratius expositum iri, aut illa verba omnino omittuntur. Nec sic quidem haec causa prorsus huc quadrat. Falso enim mulieres sicut e. g. oves ad partum habere certos dies dicuntur, cum, prout quaeque concepit, alia alio tempore pariat. Huc potius

---

sive a Cassio Dionysio. Hoc enim hic diiudicari nondum potest, sed aliis rebus infra diiudicabitur.

[1]) Quid sit *κύησις* arborum, clare apparet velut c. pl. I 13, 1: *πότερον τὰ δένδρα κατὰ χειμῶνα κύει πρὸς καρπογονίαν τοῦ δ' ἦρος ἀποτίκτει.* Itaque *κύησις* in plantis minime idem valet, quod in animalibus. Plantae *κυοῦσι,* antequam florere incipiunt (cf. ibid. § 9), *ἀποτίκτουσι καρπόν,* cum primum florere incipiunt etc. *τόκος* igitur satis diu durat.

[2]) Hoc certe inest in „acerbo"; aliter si res se haberet omnia haec supervacanea essent.

unum cadit alicuius pecudis exemplum velut canis, nam haec sicut etiam arbores certis tantum temporibus parit, cum certis tantum temporibus concipiat.

Videmus igitur verba „ut enim ... fruges" sententiam illustrare, quae ab eo, qui Theophrastea perspecta habebat, aut nullo damno omnino omitti poterat aut ita fere, ut proposui, proferri debebat. Quod etiam ab altera parte confirmatur. Ut enim recta sint verba: „quod praegn.... potest", sic fere pergendum erat: „ut enim mulieres semel tantum quotannis pariunt, ita etiam arbores ac fruges". Quodsi Reatinus novam, duplici ratione perversam, supervacaneam insuper sententiam intulit atque id verborum loco, quae, utrum Theophrastum perspectum habuerit necne, ostendere debent, haud scio an verisimile non sit eum omnia haec ipsum excogitasse. Et quidem apparet, si eieceris verba satis vilia „quod praegn. . . . potest", quae a Varrone ipso addita esse suspicor, sententiarum cursum non modo iam non interrumpi, sed etiam nihil obstare, quominus omnia haec ut de arboribus biferis prolata accipiamus. Id enim, quod de mulieribus verba fiunt, nihil valet, cum viderimus huc id non quadrare nec non verisimile sit Varronem alterius comparationis loco, quam in fonte invenerat, hanc posuisse, quam magis huc quadrare censebat. Qua ratione eum, quae apud auctorem rectius scripta ertan, opinioni suae adaptasse infra saepius videbimus.

Haec igitur ut probabilia sint, efficitur, ut Varro ipse ea non ex Theophrasto expresserit, sed ex alio, qui fortasse ea item ac Th. de biferis protulerat. Varro nimirum haec ad semel ferentes rettulit, quod de his solis is cogitabit, qui Theophrasti verba non novit.

V. I 45, 1: „Primum plerumque e terra exit hordeum diebus VII, nec multo post triticum; legumina fere quadriduo aut quinque diebus, praeterquam faba: ea enim serius aliquanto prodit" [seges ostendit Keilius].[1])

Th. h. pl. VIII 1, 5: *βλαστάνει δὲ τὸ μὲν θᾶττον, τὸ δὲ βραδύτερον; καὶ κριθὴ μὲν καὶ πυρὸς ἑβδομαῖα μάλιστα · προτερεῖ δὲ ἡ κριθὴ μᾶλλον. τὰ δ' ὄσπρια τεταρταῖα ἢ πεμπταῖα πλὴν κυάμων · κύαμος δὲ καὶ τῶν σιτωδῶν ἔνια πλείοσιν.* — Verba adeo congruunt, ut Varronem Theophrasti versionem exhibere dicas.

V. I 45, 2 sq.[2]): || sub terra et supra virgulta non eodem tempore

---

[1]) Keilius comm. p. 105 Ursinum secutus verba „seges ostendit" tamquam glossam deleri vult. Ego non ita. Inesse enim mihi videtur vestigium verborum: *τῶν σιτωδῶν ἔνια*, eamque ob rem certe „seges" vox est genuina. Contra „ostendit" ex corruptela ortum esse videtur.

[2]). Verba I 45, 2 sq. „sub terra ... ut ad eum semper spectent" cap. 46 manifeste interposita sunt, cum 45, 2 enarratio praeceptorum usum cotidianum spectantium satis moleste interrumpatur, cap. 47 ineunte denuo suscipiatur. Causa, cur hoc ipso loco haec adicerentur, haec fuit, quod apud auctorem verba de radicibus (tenellis) esse facta etiam nunc patet. — Quodsi hoc additamentum inspicimus, videmus tria exhiberi, scilicet verbis „sub terra ... facilius viam dat" agitur de radicibus, proximis usque ad „dicitur fuisse" de arborum quarundam foliis, reliquis de heliotropio. Et quidem ultima duo a Varrone ipso

aeque crescunt: nam radices autumno aut[1]) hieme magis sub terra quam supra crescunt, || quod tectae terrae tepore propagantur, supra terram aëre frigidiore coguntur. || itaque ita esse docent silvestria, ad quae sator non accessit, nam prius radices, quam ex iis quod solet nasci, crescunt. || neque radices longius procedunt, nisi quo tepor venit solis || (duplex causa radicium, quod et materiem aliam quam aliam longius proicit natura) et quod alia terra alia facilius viam dat".

Theophrastus c. pl. I 12 haec omnia ita tractat, ut eum, quae Varro profert, apud auctorem quendam legisse manifestum sit. In § 1 quaeritur: *πότερα δ' ἡ βλάστησις καὶ αὔξησις ἅμα τῶν ἄνω τε γίνεται καὶ τῶν ὑπὸ γῆς ἢ διῃρημέναι τοῖς χρόνοις; ὥσπερ τινές φασι τὰς μὲν ῥίζας αὐξάνεσθαι μετοπώρου καὶ χειμῶνος, τὰ δὲ στελέχη καὶ τοὺς ἀκρεμόνας ἔαρος καὶ θέρους καὶ μάλιστα δ' ὑπὸ τὸ ἄστρον· τοῦτο δὲ κατὰ λόγον οὕτω συμβαίνειν, τῇ γὰρ πρώτῃ γενέσει κατακολουθεῖν. ἐν ἐκείνῃ γὰρ τὴν ῥίζαν πρότερον ἢ τὸν βλαστὸν ἀφιέναι πάντα.* Sequuntur a Theophrasto ipso interposita, quibus modo allata item comprobantur, tum pergit § 3: *πιθανὸς δὲ καὶ ταύτῃ δόξειεν* [*ἂν*] *ὁ λόγος, ὅτι τὰ μὲν ἄνω κωλύεται διὰ τὸν πέριξ ἀέρα ψυχρὸν ὄντα, τὰ δὲ κάτω στεγαζόμενα τῇ γῇ καὶ ἅμα συγκατακλειόμενα ὑπὸ τοῦ θερμοῦ διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν τῇ τε ὑγρότητι καὶ τροφῇ προσαύξεται.* Quam rem iterum de suo certe frumenti exemplo probabilem reddit. Complectitur ea, quae auctor attulit, initio paragraphi 4 hisce verbis: *ταύτῃ μὲν οὖν δόξειεν ἂν μερίζεσθαι τὸ τῆς αὐξήσεως,* pergens: *τῇδε δὲ πάλιν οὐκ ἂν δόξειεν.* Tractat autem singulas causas, quibus auctor opinionem suam comprobare studuerat, deinceps proferens, etsi in prima *γενέσει*[2]) radix paulo prius quam coliculi oriantur, tamen rem non ita se habere *ἐν τῇ τροφῇ καὶ αὐξήσει* (§ 4). Sicut enim in illa omnia *ἅμα* fiant, ita etiam in hac: *ὃ καὶ κατὰ τὴν αὔξησίν ἐστι φανερόν.* Quod paragrapho quinta etiam accuratius exponit. Tum convertit ad alteram causam dicens § 6: *ἡ δ' ὑπὸ τοῦ ψύχους κώλυσις τῆς βλαστήσεως ἀληθὴς μέν, οὐκ ἔτι δὲ ποιεῖ μερισμὸν φυσικόν.* Quod proximis verbis uberius exponit. Illud igitur concedit, at negat discrimen esse positum

---

dicuntur „admiranda" nec minore iure idem de prima re statuas. „Varro" igitur sicut velut Archelaus miras res sectatus est (cf. etiam p. 41, adnot. 2) cumque ultimas duas certe ex Theophrasto non hauserit, iure dubitari potest, utrum eas ex fonte quodam primo an ex scriptore, qui talia collegerat, sumpserit. Archelaus ipse in censum venire non videtur (cf. p. 38). Quae de radicibus profert, omnia apud Theophrastum inveniuntur, qui eadem iam apud auctorem quendam legit, et quidem cf. ad partem 1 c. pl. I 12,1, ad 2 ibid. § 2, ad 3 ibid. § 1, ad 4 ibid. § 7. Praeterea 3—5 eodem ordine proferuntur a Th. h. pl. I 7,1—2. Quae enim in parte 5 legimus, facillime effici potuerunt ex his Theophrasti verbis. Eum autem revera esse auctorem „Varronis" pro certo statuere non audeo propter id ipsum, quod Th. idem iam apud alium legit quodque illae duae reliquae res ex eo certe non fluxerunt. Contra comprobat Theophrastum hic esse exscriptum id, quod ex hac ipsa paragrapho „Varro" I 37,5 nomine adiecto quoddam sumpsit. Itaque hoc potius credam.

[1]) Falso legitur „aut" pro „et". cf. c. pl. I 12,1.

[2]) Varro hanc vocem spectans posuit silvestria (*ὕλη*) non prorsus recte, cum idem cadat velut in frumentum.

in anni temporibus. Quamquam de rebus quibusdam subtilioribus ipse adhuc dubitat (cf. § 8: *εἰ μὴ ἄρα συμβαίνει κτλ*); itaque hanc quaestionem diiudicare non audet scribens § 10: *τὰς μὲν οὖν αὐξήσεις εἴη μὲν ἂν ἀμφοτέρως συμβαίνειν, οὐ μὴν ἀλλὰ διὰ ταῦτά γε μᾶλλον ἄν τις ὅλων τῶν δένδρων [ἢ] μεριζομένας ὑπολαμβάνοι γίνεσθαι.* cf etiam h. pl. I 7, 1.

Quae cum ita sint, offendi non licet eo, quod apud Varronem eorum, quae auctorem impugnant, nihil omnino legitur. Tam subtiles enim res excerptor haud dubie neglegere potuit eo magis, quod Theophrastus ipse postremo huic opinioni quodammodo assentitur. Sed cum eadem etiam apud alterum quendam exposita fuerint, etiam hic alter scriptor auctor „Varronis" esse potest.

V. I 46: „propter cuius modi res [1]) admiranda discrimina sunt naturae aliquot, ex quibusdam foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, ut dici possit, ut olea et populus alba et salix. horum enim folia cum converterunt se, solstitium dicitur fuisse. nec minus admirandum, quod fit in floribus, quos vocant heliotropia ab eo, quod ad solis ortum mane spectant et eius iter ita secuntur ad occasum, ut ad eum semper spectent".

Th. c. pl. II 19, 1: *ὅσα δὲ κοινὰ γένους τινὸς ἢ καὶ πλειόνων μὴ ὁμογενῶν οἷον τὸ στρέφειν τὰ φύλλα τὴν φιλύραν καὶ τὴν ἐλάαν καὶ τὴν πτελέαν ταῖς τροπαῖς ταῖς θεριναῖς . . . ἐν ἅπασι καὶ πανταχοῦ κοινήν τινα αἰτίαν ὑποληπτέον εἶναι.* cf. h. pl. I 10, 1, ubi praeterea *λεύκη* nominatur. — c. pl. II 19, 5: *πάσχει δέ τι παραπλήσιον τούτῳ καὶ τῶν ἀνθῶν πολλὰ καθ' ἡμέραν· ἀεὶ γὰρ συμπεριφέρεται τῷ ἡλίῳ νεύοντα καὶ ἐγκλίνοντα πρὸς αὐτόν.* Plantae singulae non nominantur. — h. pl. VII 15, 1: *ὅσα δὲ τὰς ἀνθήσεις λαμβάνουσι ἀκολουθοῦντα τοῖς ἄστροις οἷον τὸ ἡλιοτρόπιον καλούμενον καὶ ὁ σκόλυμος. ἅμα γὰρ ταῖς τροπαῖς καὶ οὗτος, ἔτι δὲ τὸ χελιδόνιον, καὶ γὰρ τοῦτο ἅμα τῷ χελιδονίᾳ ἀνθεῖ.* — Inter hos locos ea intercedit similitudo, quod Theophrastus priore loco (c. pl. II 19, 1) sicut Varro arborum foliis tractatis item ad flores transit ad eandem rem denique § 5 perveniens, de qua in heliotropio apud Varronem agitur. Quamquam hoc non ita multum valet. Quo accedit, quod ab altera parte tiliae et ulmi loco Varro salicem in fonte invenit. Quae cum ita sint, difficillimum est diiudicatu, utrum hoc loco Theophrastus an alter scriptor ut auctor in censum veniat.[2])

---

[1]) Verba „propter cuius modi res" spectant anni tempora in virgultis, solem in radicibus, plantarum naturam in eisdem, item terram. Nemo vero non sentit sententiarum ordinem quasi hiantem hac ratione artificiose tantum conservari. Itaque ut verba „sub terra etc." male interiecta esse vidimus, ita haec non minus male adiuncta sunt. Perspicuum autem denuo est auctoris studium afferendi quam plurimas res miras. cf. p. 43, adnot. 2

[2]) Illam Theophrasti heliotropii nominis explicationem Varro, quippe qui etymologiae tantopere operam dederit, silentio certe non praetermisisset, si eam novisset, id est, si Theophrastum ipsum legisset. Quod haud scio an nemo neget, quamquam certe Varro in universum, quae in auctoribus discrepent, non adnotat. Gentillius (l. l. p. 122) haec non curavit. — geop. IX 2, 3 a Varrone recedunt easdem arbores atque Theophrastus eodem ordine atque hic (h. pl.

V. I 55, 2—3: „qui quatiet, ne adversam caedat, saepe enim ita percussa olea secum defert de ramulo plantam, quo facto fructum amittunt posteri anni. nec haec non minima causa, quod oliveta dicant alternis annis non ferre fructus aut non aeque magnos".

Th. c. pl. I 20, 3: De arboribus agens, quae ut aridae ac lignosae et ex veteribus ramulis fructus procreantes alternis annis ferant, docet oleam, cum in messe caedatur, item alternis tantum annis fructum ferre. Si non caedatur, magis quotannis hoc fieri: *μάλιστα δ' ἐπιδήλως ἡ ἐλάα τοιοῦτο, καὶ γὰρ ἀσθενέστατον καὶ ἐπικηρότατον καὶ ἅμα ῥαβδιζομένη πονεῖ καὶ κατακοπτομένη τὰς θαλείας· ἐπεὶ ὅσοι γε μὴ οὕτω συλλέγουσιν, ἀλλὰ αὐτομάτως ἀεὶ τὴν ἐπιρρέουσαν καὶ ἀποσείοντες, ἐπετειοφορεῖν φασι μᾶλλον.* — Propter notata Varronem ipsum Theophrastum, siquidem exscriptus est, adisse nego.

Postremo quae Gentillius (l. l. p. 123, 125) Varronem II 11, 2; ibid. 4 ex Theophrasto h. pl. IX 15, 4; ibid. I 2, 3; c. pl. VI 11, 16 hausisse vult, adeo non congruunt, ut de eis verba facere mittam, sicut de compluribus aliis locis, qui nihil omnino valent.[1])

Quod attinet ad quaestionem, quam solvere nostra maxime interest, censeo ex eis, quae supra ad hunc illum locum adnotavi,[2]) satis esse demonstratum Theophrastum, siquidem auctor est, non a Varrone ipso esse inspectum. Quod eo confidentius autumo, quod idem confirmatur locis quibusdam tertii generis, ad quod iam convertamus:

Gentillius cum l. l. p. 116—117 eos in extenso attulerit, eos denuo non exscribam, sed satis habeo, qui loci sibi respondeant, commemorare. Sunt autem hi:

1. V. I 7, 6 et Th. h. pl. I 9, 5; ibid. I 3, 5. cf. c. pl. I 11, 6.
2. V. ibid. § 7 et Th. h. pl. I 4, 1—3. cf. ibid. IV 6, 2.
3. V. I 37, 5 et Th. h. pl. I 7, 1.
4. V. I 39, 3—41, 4 et Th. passim, id quod modo uberius ostendemus.[3])

I 10, 1) exhibentia: *προσημαίνει δὲ καὶ τὰς τροπὰς τὰς θερινὰς στραφέντα τὰ φύλλα τῆς ἐλαίας, ὥσπερ ἡ φιλύρα καὶ ἡ πτελέα, καὶ ἡ λεύκη.* Constat igitur ne hic quidem sicut XV 3, 4 (cf. p. 27) geoponicon auctorem Varronem expressisse, id quod infra multo pluribus locis confirmabitur, sed sicut aliis quibusdam locis Theophrastum fortasse. cf. adnot. 2 p. 32, 67.

[1]) Similia ac Theophrastus Varro profert I 4, 2 (c. pl. III 1, 3) ibid. § 4 (c. pl. VI 5, 5) ibid. 6, 2 sq. (c. pl. II 4, 7) ibid. 7, 5 (c. pl. II 4, 4; III 6, 5) ibid. 9, 2 (c. pl. II 4, 1), ibid. 55, 2 (c. pl. I 19, 4). Sed inde nihil certi erui potest.

[2]) cf. imprimis p. 42 sq., p. 45 adnot. 2.

[3]) Quaeras, cur his ipsis locis Theophrastus a Varrone nominatim ac recte auctor laudetur. — Certe Cassius Dionysius ut in prooemio sic in verborum contextu hic illic fontes nominavit. Itaque nullo negotio etiam Varro eis quaedam iure attribuere potuit. Sed interest aliquid inter locos, quibus e. g. Cato quibusque Theophrastus laudatur. Vidimus supra (p. 15) auctoris nomen rebus translatis semper esse praepositum, id quod ap. Th. non fit I 7, 6; ibid. 7, imprimis 39, 3 sq. Quo accedit alterum multo gravius. Omnibus enim locis, quibus ex Catone quaedam se hausisse Varro ipse testatur, etiam illius libello non adhibito recte statuas, quae Catoni sint adscribenda. Contra hoc apud Theophrastum illis locis plene non possis nisi Theophrasto ipso inspecto. Quid

Ex his locis primus et tertius ad quaestionem nostram nihil valent, cum scriptores ad verbum fere congruant nec Theophrasto nominatim laudato quicquam attribuatur, quod non habeat. Neque id, si solum esset, magnam haberet vim, quod loco secundo Varro scribit Theophrastum docuisse palmas et squillas vivere non posse nisi in mari. Quod falsum esse unusquisque statim intellegit et recte legitur apud Th. l. l. § 3: *τὰ δὲ καὶ τῶν ὁμολογουμένων χερσαίων πεφυκότα ποτὲ ἐν τῇ θαλάττῃ βιοῦν, φοίνικα σκίλλαν ἀνθερικόν;* tamen autem elucet, quam leviter omnique iudicio misso Varro fontes exscripserit. A Cassio enim Dionysio *ποτὲ* esse omissum non credo, quod is, id quod infra procul dubio apparebit, Theophrastum diligentissime expressit. Fortasse autem Diophanes *τὰ δὲ . . . ποτέ* deleverat (cf. p. 62), ita ut Varro facillime in hunc errorem incidere potuerit.

Iam accedamus ad quartum locum, dignum, qui uberrime ac diligentissime tractetur:

Varro (I 39, 3 sq.), postquam in paragraphis antecedentibus in universum praecepta de serendo protulit, de seminum generibus agit. Praemittam semina ea esse, quibuscunque novae plantae oriuntur, sive a natura sive arte. Quorum quattuor genera statuuntur. Legimus enim: „quare cum semina sint fere quattuor generum ⟨quae natura dedit⟩,[1]) quae transferuntur e terra in terram viva radice, quae ex arboribus dempta demittuntur in humum, quae inseruntur ex arboribus in arbores, de singulis videndum, quae quoque tempore locoque facias“.

Primus, quantum scio, Schneider in commentario ad h. l. p. 340 haec verba rettulit ad Th. h. pl. II 1, 1, idemque nimirum fecit Keilius (comm. p. 96). Gentillius de his verbis nihil profert. Illi igitur viri docti putant Varronem ipsum a Theophrasto pendere, neque operae pretium non erit, hoc fieri possit necne, diligentissime inquirere. Itaque prius, quae Theophrastus de hisce rebus doceat, statuemus, postea, quae ratio inter huius doctrinam et Varroniana genera intercedat, in singulis generibus tractandis ostendemus, praesertim cum de hac re adhuc nihil fere dictum sit.

Exstant apud Theophrastum l. l. haec: *Αἱ γενέσεις τῶν δένδρων καὶ ὅλως τῶν φυτῶν ἢ αὐτόματοι ἢ ἀπὸ σπέρματος ἢ ἀπὸ ῥίζης ἢ ἀπὸ παρασπάδος ἢ ἀπὸ ἀκρεμόνος ἢ ἀπὸ κλωνὸς ἢ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ στελέχους εἰσὶν ἢ ἔτι τοῦ ξύλου κατακοπέντος εἰς μικρά· καὶ γὰρ οὕτως ἔνια φύεται.* Statuuntur igitur octo genera. Tum pergit: *τούτων δὲ ἡ μὲν αὐτόματος πρώτη τις, αἱ δὲ ἀπὸ σπέρματος καὶ ῥίζης φυσικώταται δόξαιεν ἄν. ὥσπερ γὰρ αὐτόματοι καὶ αὗται. δι' ὃ καὶ τοῖς ἀγρίοις*

---

hac re efficitur? Verisimillimum mihi videtur Varroni id accidisse, ut apud auctorem Theophrasti quidem nomen legeret, sed nesciret, quae ei praeter ea, de quibus dubitari non potest, essent adscribenda. Qua re factum est, ut illis locis excerptorum partes tantum, sed eas religiose atque anxie fere ad Eresium referret. Cur in Catone tam perspicuum sit, quae ex eo manaverint, exponere non oportet.

[1]) Sic Keilius (cf. comm. p. 95). In codd. primum genus omissum est. Ego potius scribam „primigenia“. cf. V. I 40, 2.

ὑπάρχουσιν· αἱ δὲ ἄλλαι τέχνης ἢ δὴ προαιρέσεως. Dividuntur igitur a Theophrasto illa octo genera in duas partes, ex quibus una natura, altera arte fit, et quidem in unam colliguntur tria, scilicet id, quod sponte fit,[1]) id quod seminibus proprie dictis, tertium, quod ex radice fit (nos dicimus Ausläufer).[2]) Altera pars complectitur reliqua genera, scilicet propaginationes, ut ita dicam, ex stolonibus,[3]) ex ramis, ex surculis, ex ipso trunco, ex ligno diffisso. Quibus verbis factis Th., quae modo de variis seminibus protulit, nonnullis exemplis illustrat, quorum agmen sic claudit ibid. § 4: *τὰ μὲν οὖν δένδρα βλαστάνει καὶ γίνεται κατὰ τοὺς εἰρημένους τρόπους. αἱ γὰρ ἐμφυτεῖαι καὶ οἱ ἐνοφθαλμισμοὶ καθάπερ μίξεις τινές εἰσιν ἢ κατ᾽ ἄλλον τρόπον γενέσεις, περὶ ὧν ὕστερον λεκτέον.* Seiungitur igitur insitio et inoculatio a ceteris seminum generibus propter causas a Theophrasto ibidem allatas, ac fiunt quodammodo tria genera. Haec hactenus.

Convertimus nunc ad Varronem, qui de primo seminum genere haec profert cap. 40, 1: „Primum semen, quod est principium genendi, id duplex, unum quod latet nostrum sensum, alterum quod apertum. latet, si sunt semina in aëre, ut ait physicos Anaxagoras, et si aqua, quae influit in agrum, inferre solet, ut scribit Theophrastus. illud quod apparet [ad agricolas], id videndum diligenter“.[4]) Sequuntur quaedam de semine cypressi, tum pergitur § 2: „primigenia semina dedit natura, reliqua invenit experientia coloni. prima, quae sine colono, priusquam sata, nata; secunda, quae ex iis collecta neque, priusquam sata, nata“. Tum adiunguntur praecepta ad usum cotidianum spectantia, scilicet quale semen sit serendum. Ex quibus primum exemplo illustratur.

Quodsi quaerimus, quaenam Theophrasti genera hoc primo Varronis contineantur, luce clarius apparet primum inesse, quas Th. (l. l.) appellat *αὐτομάτους γενέσεις,* et quidem Varro eas dicit verbis:

---

[1]) Accuratius, quid sit dictum, exponitur ab eodem h. pl. III 1, 4: *ταύτας δὲ δὴ τὰς γενέσεις ὑποληπτέον εἶναι, τῶν ἀγρίων καὶ ἔτι τὰς αὐτομάτους, ἃς καὶ οἱ φυσιολόγοι λέγουσιν· Ἀναξαγόρας μὲν τὸν ἀέρα πάντων φάσκων ἔχειν σπέρματα καὶ ταῦτα συγκαταφερόμενα τῷ ὕδατι γεννᾶν τὰ φυτά. Διογένης δὲ σηπομένου τοῦ ὕδατος καὶ μίξιν τινὰ λαμβάνοντος πρὸς τὴν γῆν· Κλείδημος δὲ συνεστάναι μὲν ἐκ τῶν αὐτῶν τοῖς ζώοις, ὅσῳ δὲ θολερωτέρων καὶ ψυχροτέρων τοσοῦτον ἀπέχειν τοῦ ζῶα εἶναι.* § 5: *ἄλλαι δὲ ὁμολογούμεναι καὶ ἐμφανεῖς οἷον ὅταν ἔφοδος γένηται ποταμοῦ παρεκβάντος τὸ ῥεῖθρον, ἢ καὶ ὅλως ἑτέρωθι ποιησαμένου, καθάπερ ὁ Νέσος ἐν τῇ Ἀβδηρίτιδι πολλάκις μεταβαίνει καὶ ἅμα τῇ μεταβάσει τοσαύτην ὕλην συγγεννᾷ τοῖς τόποις, ὥστε τῷ τρίτῳ ἔτει συνηρεφεῖν. καὶ πάλιν ὅταν ἐπομβρίαι κατάσχωσι πλείω χρόνον.* cf. de c. pl. I 5, 1 sq.

[2]) cf. geop. X 57, 5: *φυτεύονται δὲ αἱ ἀμυγδαλαῖ καὶ ἀπὸ σπέρματος καὶ ἐξ αὐτορρίζων καὶ παρασπάδων ἢ μοσχευμάτων.* Plinius satis libere Th. exscripsit (n. h. XVII 58): „aut enim semine proveniunt aut plantis radicis aut propagine aut avulsione aut surculo aut insito in consecto arboris trunco“.

[3]) Stephanus in thesauro recte dicit esse frutices arbori adnascentes, qui inde avulsi plantentur, id, quod confirmatur Theophrasti verbis h. pl. II 1, 3: *δεῖ δὲ ὑπόρριζον εἶναι μάλιστά γε τὸ παρασπώμενον ἢ ὑπόπρεμνον.* cf. de c. pl. I 2, 2. Nos dicimus: Wurzelschoß.

[4]) Haec verba sana esse vix crediderim. Postulantur haec fere: illud quod pertinet ad agricolas, i. e. quo illi utuntur ad serendum.

„unum, quod latet nostrum sensum".[1]) Nemo autem ei crimini dabit, quod subtilia discrimina, de quibus Th. agit (h. pl. III 1, 4 sq.), neglexit, quippe qui breviter libros indices conscribere in animo habuerit. Item in hoc genere numerantur semina proprie dicta (*σπέρματα*), quae dicit aperta. Omittitur procul dubio ea *γένεσις*, quam Th. dicit *ἀπὸ ῥίζης*. Hac igitur in re discrimen intercedit, cum Th. etiam semina *ἀπὸ ῥίζης* inter naturalia, i. e. quae natura dedit, posuerit, sicut supra vidimus.

Quoniam statuimus, quibus Theophrasti seminum generibus Varronis primum constet, iam, unde singula hausta sint, inquiramus. Fluxerunt autem verba „latet, si sunt semina in aëre, ut ait physicos Anaxagoras, et si aqua, quae influit in agrum, inferre solet, ut scribit Theophrastus" aperte ex locis in adnotatione 1 p. 48 exscriptis. Itaque, cum nihil habeam, quod addam, iam pergam ad proxima: „illud quod apparet ad agricolas, id videndum diligenter". Quae verba satis breviter ea reddunt, quae Th. c. pl. I 5, 4 exponit. Conferas imprimis: *δι' ὃ καὶ ἐμπείρου τινός ἐστι συλλέξαι.* — Ex eodem Theophrasto concinnata sunt verba: „quaedam enim ad genendum prona usque adeo parva, ut sint obscura, ut cupressi. non enim galbuli qui nascuntur, id est tamquam pilae parvae corticiae, id semen, sed in iis intus", scilicet ex his verbis de c. pl. I 5, 4: *καὶ δυσόρατα καὶ μικρὰ καὶ τῶν δένδρων ἔνια σπέρματα τυγχάνει καθάπερ καὶ τῆς κυπαρίσσου· ταύτης γὰρ οὐχ ὅλος ὁ καρπὸς ὁ σφαιροειδής ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἐγγιγνόμενον ἐν τούτῳ λεπτὸν καὶ ὥσπερ πιτυρῶδες καὶ ἀμενηνὸν ὅπερ ἐκπέταται διαχασκόντων τῶν σφαιρίων.* Moneam eam galbulorum descriptionem, quam Varro exhibet, apud Theophrastum non exstare. — Porro conferenda sunt verba: „primigenia semina dedit natura, reliqua invenit experientia coloni" cum hisce h. pl. II 1, 1: *τούτων δὲ ἡ μὲν αὐτόματος πρώτη τις, αἱ δὲ ἀπὸ σπέρματος καὶ ῥίζης φυσικώταται δόξαιεν ἄν, ὥσπερ γὰρ αὐτόματοι καὶ αὗται . . . αἱ δὲ ἄλλαι τέχνης ἢ δὴ προαιρέσεως,* quibus comparatis dubitari non potest, quin, quod attinet ad res, plane sibi respondeant. Quasi altera forma horum verborum sunt proxima: „prima, quae sine colono, priusquam sata, nata; secunda, quae ex iis collecta, neque priusquam sata, nata". Nam verbis: „primigenia semina dedit natura", quod attinet ad res, prorsus respondent haec: „prima, quae sine colono, priusquam sata, nata", atque item certe de posterioribus partibus res se habet. Quod iam Gesner teste Keilio (comm. p. 97, 2) quodammodo statuit suo iure arbitratus hic atque, hoc addam, nimirum etiam verbis antecedentibus seminum bipartitionem a Theophrasto institutam proferri. Quod Keilius secutus Schneiderum (comm. ad h. l. p. 341/42) denegat scribens l. l. „haec quae secunda dicuntur, sunt ea ipsa, quae deinde in secundo genere seminum describuntur, non reliqua omnia, quasi nova seminum divisio in duas partes facta esset, ut Gesnero visum est". Quem in errorem gravissimum

---

[1]) Quamquam non prorsus respondent eis, quae Th. exposuit. Is enim h. pl. III 1, 5 dicit nonnullas ex illis oriendi rationibus esse perspicuas: *ἄλλαι δὲ ὁμολογούμεναι καὶ ἐμφανεῖς κτλ.*

quomodo incidere potuerit, non video. Non enim credam eo, quod eadem verba „secunda semina“ brevi post repetuntur, eum esse seductum, ut idem haec significare censeret. Nisi forte rationem inter haec pronuntiata intercedentem non perspexit. Hac enim certum fit „secunda“ vocis „reliqua“ loco hic esse positum. Quo accedit, quod, si aliter res se haberet, membrorum aequalitas intolerabili modo deleretur neque intellegeretur, cur de secundo tantum genere id dictum sit, quod maiore etiam iure de tertio et quarto valet. Quin etiam non errare mihi videor autumans, si Varro verba „secunda, quae ex iis collecta . . . nata“ revera ea mente posuit, ut ad secundum tantum genus referrentur, sequi, ut Varro, cum membrorum aequalitas sine dubio appetita sit, prorsus ignoraverit verbo „reliqua“ non secundum tantum, sed etiam tertium et quartum genus contineri. Id esset: eum Theophrastum ipsum non legisse, sed illam priorem sententiam ab auctore recepisse, posteriorem autem aut ut paraphrasin de suo addidisse aut a Diophane additam recepisse. Iam hoc missis ceteris argumentis sufficiet, ut, quicunque a Keilio stat, se errasse concedat. Addam melius haec verba in finem paragraphi tertiae capitis 39 quadrare atque hic „secunda“ non converti „die zweiten“, sed „die folgenden“. cf. e. g. V. II 9, 7.

His verbis tractatis iam restant tres sententiae, quibus praecepta, quae aliunde atque ex Theophrasto hausta sunt, continentur, nempe: „Prima semina videre oportet ne vestutate sint exsucta aut ne sint admixta aut ne propter similitudinem sint adulterina. semen vetus tantum valet in quibusdam rebus, ut naturam conmutet. nam ex semine brassicae vetere sato nasci aiunt rapa et contra ex raporum brassicam.“[1]) Quarum ultima res narrantur, quae nobis quidem satis ineptae esse videntur. Idem ac nos censuit Theophrastus, cum similem rem respuit hisce verbis h. pl. II 2, 9: *ἤδη δέ τινες καὶ ἐκ κριθῶν ἀναφῦναί φασι πυροὺς καὶ ἐκ πυρῶν κριθὰς καὶ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ πυθμένος ἄμφω. ταῦτα μὲν οὖν ὡς μυθωδέστερα δεῖ δέχεσθαι.*

Iam ad secundum genus accedimus (§ 3), quod ea complectitur semina „quae transferuntur e terra in terram viva radice“. Quae sint, Varro accuratius, sicut in primo genere fecit, non exponit. Theophrasti autem doctrinam respicientibus nobis verisimile fit, non, ut Keilio visum est, genesin *ἀπὸ ῥίζης* tantum, sed etiam *παρασπάδος* huic generi inesse. Nam hanc quoque interdum radicibus uti elucet velut hoc loco h. pl. II 1, 3: *δεῖ δὲ ὑπόρριζον εἶναι μάλιστά γε τὸ παρασπώμενον ἢ ὑπόπρεμνον. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἄνευ τούτου θέλει βλαστάνειν καὶ ῥόα καὶ μηλέα ἐαρινή.* Hae igitur duae species quin contineantur secundo genere Varroniano, non est cur dubitemus, praesertim cum etiam ordo, quo Theophrastus singulas geneseis enumerat, adservetur nec lacuna hiet, si genesin *ἀπὸ παρασπάδος* hic numeramus. Id quod infra luculentius apparebit.

---

[1]) Haec effici non possunt ex c. pl. IV 3, 1. Similia leguntur geop. XII 17, 22. cf. etiam ibid. II 16, 1 sq.

Itaque, cum hoc pro certo statuere possimus, iam transeamus ad singula:

Praeceptum, quod primum legimus: „secunda semina videre oportet ne, unde tollas, nimium cito aut tarde tollas“ aliunde atque ex Theophrasto oritur, cum apud hunc simile non inveniatur. Contra sequentia ex eius operibus fluxerunt. Exstat enim de c. pl. I 6, 3: *εὔλογοι δὲ καὶ αἱ ὧραι, μᾶλλον δὲ ἴσως ἀναγκαῖαι, καθ' ἃς καὶ ὅλως ἐπιβλαστήσεις γίνονται μετόπωρόν τε καὶ ἔαρ καὶ κυνὸς ἐπιτολή,* quae verba auctore nominato Varro refert his: „tempus enim idoneum, quod scribit Theophrastus, vere et autumno et caniculae exortu“. Atque item ex verbis ibid. § 9: *δεῖ δὲ καὶ πρὸς τὰς χώρας λαμβάνειν τὰς οἰκείας ὥρας καὶ πρὸς τὰς τῶν δένδρων φύσεις· ἐπεὶ τὰ μὲν ἔνυδρα, τὰ δὲ ξηρά. καὶ λεπτογείῳ ἄμεινον μὲν τὸ ἔαρ· οἰκεῖον γὰρ οὕτως διὰ τὸ ὀλίγον ἔχειν τὸ ὑγρόν. ἐν δὲ τῷ εὐγείῳ καὶ πηλώδει τὸ μετόπωρον· τοῦ γὰρ ἦρος πολλὴ λίαν ἡ ὑγρότης πρὸς τὸ διατηρεῖν ἕως ἔτι διαμένει τὸ δάκρυον. ὁρίζονται δέ τινες τοῦτο τριάκονθ' ἡμέραις'* haud dubie expressa sunt, etsi valde circumcisa, haec Varronis: „neque omnibus locis ac generibus idem. in sicco et macro loco et argilloso vernum tempus idoneum, quo minus habet umoris: in terra bona ac pingui autumno, quod vere multus umor. quam sationem quidam metiuntur fere diebus XXX.“ Sed quam perverse haec ad secundum genus relata sunt! A Theophrasto enim illa non de eis generibus proferuntur, quae secundum, sed quae quartum genus Varronianum efficiunt, id est de inoculatione ac de insitione. Tam inauditum errorem equidem fieri potuisse non credo, si Varro ipse Theophrastum adhibuisset. Etsi enim dicas Varronem, cum hos libros componeret, Theophrastum ipsum iam non ante oculos habuisse, sed potius excerpta, quae fecerat, exscripsisse, tamen ita effectum esse, ut eiusmodi perturbationes orerentur, nemini facile persuadeas. Si enim quis tanta diligentia Theophrastum non modo perlegit, sed etiam, id quod infra manifestius fiet, ubique auctorem secutus est atque optime novit, quanta ei, qui Varronem haec omnia ex Theophrasto ipso hausisse censent, necessario putant, is in tam graves errores incidere non potest. Ne afferam id, quod Varro praeterea in eo falsum exhibet, quod in argillosa terra vere minus humoris esse putavit quam autumno, id quod contrarie evenire nemo ignorat ac recte apud Theophrastum legitur. Quo accedit alterum illud, quod verba: „*ὁρίζονται δέ τινες τοῦτο τρίακονθ' ἡμέραις*“ sicut omnia item ad hoc sationis genus rettulit atque eam ob causam illud *τοῦτο* interpretatus est „quam sationem“, cum revera hoc pronomen manifeste spectet ad: *τὸ διατηρεῖν ἕως ἔτι διαμένει τὸ δάκρυον.* Quae cum ita sint, putandum est ea, quae revera ad hoc genus pertinebant, nescio quo modo perisse excepta prima huius paragraphi sententia, quae quasi miserae huius partis reliquiae sunt, eorum autem loco ea, quae nunc leguntur, a Varrone esse substituta.

Venimus nunc ad tertium genus atque iterum, ut supra fecimus, primum inquiremus, quae ratio inter hoc genus et Theophrasti doctrinam intercedat, tum, unde singula hausta sint.

Tertium genus ea complectitur semina, „quae ex arboribus dempta demittuntur in humum“, vel accuratius est id, „quod ex arbore per surclos defertur in terram“. Quae *γενέσεις* Theophrasti hic sint numerandae, clare, ni fallor, apparet loco, qui est c. pl. I 4, 3 de ocimo: *καὶ γὰρ τὰς ἀποφυτείας ἐκ τῶν ἄνω δέχεται καίπερ ξυλῶδες ὄν.* Ex verbis enim *ἐκ τῶν ἄνω* statim fit contrarium *ἐκ τῶν κάτω*, *τὰ κάτω* antea sunt tractata, nempe § 1: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πλείους εἰσὶ καὶ τούτων* (sc. *γενέσεις*), *ᾗ δὲ ἕκαστα τῶν προειρημένων ἐφάπτεται, ταύτῃ διαιρετέον· οἷον καὶ ὑπὲρ ἧς νῦν λέγομεν τῆς ἀπὸ τῶν ῥιζῶν.* ibid. 2: *ἔστι δέ τινων καὶ ἀπὸ παρασπάδος καὶ ἀπὸ τῶν ἄκρων φυτεία καὶ γένεσις. Τὰ κάτω* igitur sunt *γενέσεις ἀπὸ ῥίζης* et *ἀπὸ παρασπάδος*, id est secundum genus Varronianum, *τὰ ἄνω* autem vel *τὰ ἄκρα* sunt *γενέσεις ἀπὸ ἀκρεμόνος* et *ἀπὸ κλωνός*. Satis scite igitur secundum ac tertium genus sunt statuta, cum ipsis Theophrasti divisionibus nitantur, ac profecto summopere esset mirum, si is, qui tanta diligentia Theophrastum in seminum generibus statuendis secutus est, ab altera parte eius praecepta miserrime partim miscuisset, partim foede depravavisset. Quodsi *γενέσεις ἀπ' αὐτοῦ τοῦ στελέχους* et *ἀπὸ τοῦ ξύλου κατακοπέντος εἰς μικρά* omisisse videtur — nulla enim earum fit mentio neque ullius de his rebus praecepti vestigium exstat — hoc certe non neglegentia, sed consulto factum est. Primum enim huiusce modi sationes fere non usurpari videntur nisi in plantis minoribus atque herbosis — ex arboribus enim Theophrastus non nominat nisi oleam et murtum[1]) — tum clarum est eas raro tantum ut satis artificiosas adhiberi, id quod idem Theophrastus testatur c. pl. I, 4 § 4: *αὗται μὲν οὖν* (scil. *ἀπὸ ῥίζης, ἀπὸ παρασπάδος, ἀπὸ τῶν ἄνω*) *κοιναὶ πλειόνων· αἱ δὲ τοιαῦται καὶ σπάνιαι καὶ ἐλάττους ὥσπερ τῆς κρινωνίας καὶ ῥοδωνίας καὶ ὁ καυλὸς ὁ σχισθεὶς φύεται καὶ βλαστάνει*[2]) . . . *καὶ τό τε κατακόπτειν καὶ κατασχίζειν εὔλογον.* Denique quod nullum discrimen apparet inter *ἀκρεμών* et *κλών* (ille enim est ramus grandis, hic surculus) est locus, quo ne Theophrastus quidem hoc faciat. Legimus enim c. pl. I 1, 3: *ὅσα μὲν γὰρ ξηρὰ καὶ μονοφυῆ καὶ ἀπαράβλαστα, ταῦτ' οὐδεμίαν, ὡς εἰπεῖν, δέχεται φυτείαν οὔτε ἀπὸ παρασπάδος οὔτε ἀπὸ ἀκρεμόνος· τὴν μὲν ἀπὸ παρασπάδος τῷ μὴ ἔχειν τὰ μονοφυῆ, τὴν δὲ ἀπὸ ἀκρεμόνος καὶ κλωνὸς διὰ τὴν ξηρότητα.* Itaque ne hoc quidem neglegentia factum esse dicere licet.

Postquam igitur demonstratum est etiam tertium Varronis genus ex ipso Theophrasto scite esse sumptum, ad singula aggrediamur. Duo proxima praecepta: „videndum, ut eo tempore sit deplantatum, quo oportet (id fit tum, antequam gemmare aut florere quid incipit); et quae de arbore transferas, ut ea deplantes potius quam defringas, quod plantae solum stabilius, quo latius aut radices facilius mittit“, aliunde hauserit „Varro“ necesse est, cum similia apud Theophrastum mihi non occurrerint. Contra verba sequentia: „ea celeriter, antequam sucus

---

1) cf. c. pl. I 4, 5, h. pl. II 5, 6.
2) cf. Varro I 35, 1.

exarescat, in terram demittunt“ haud scio an collecta sint ex his c. pl. I 1, 3; *ἀεὶ γὰρ τὸ μέλλον βλαστάνειν ἔχειν τε δεῖ τὴν ἔμβιον ὑγρότητα καὶ ταύτην δύνασθαι τηρεῖν, τὰ δὲ φύσει ξηρὰ διὰ τὸ ὀλίγην ἔχειν, ὅταν ἀπὸ τοῦ δένδρου ἀφαιρεθῇ, ταχὺ διαπνεῖται, καὶ ἐξατμίζεται συνεξάγονθ' ἅμα καὶ τὸ σύμφυτον θερμόν.* Inde enim, quod nonnullae plantae ob causas allatas omnino non surculis propagari possunt, concluditur recte in reliquis quoque, quae hoc ferre possunt, celeritate opus esse. — De verbis sequentibus: „in oleagineis seminibus [arbores] videndum, ut sit de tenero ramo ex utraque parte aequabiliter praecisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant ac faciunt circiter pedales“ item incerti sumus, unde sint hausta. Gentillius ultima ad Catonem rettulit (l. l. p. 134), qui scripsit c. 45, 1: „quas (sc. taleas oleagineas) in seminario saturus eris, pedalis facito“. Quod etsi fieri potest, tamen pro certo statuere nolim, cum hoc fuerit usitatissimum nec sit, cur non aliunde quoque sumi potuerit.

Iam restat quartum genus continens ea semina, „quae inseruntur ex arboribus in arbores“. Quod sine dubio complectitur inoculationem et insitionem, etsi illius apud Varronem, proinde ac si eam prorsus ignoret, nulla omnino fit mentio. Nihilominus autem eam hic esse ponendam, vel inde concludere licet, quod praecepta ad eam pertinentia proferuntur neque abhorret a verisimilitudine eum, qui alias Theophrasto auctore usus est, idem hic fecisse. Et quidem etiam Theophrastus has ultimas serendi rationes in unum collegit et, cum eas a ceteris diligenter seiunxit, ut supra vidimus, et, cum in fine capitis c. pl. I 6, 10 verbo *ἐμφυτεία* ambas comprehendit scribens: *καὶ τὰ μὲν περὶ τὰς φυτείας καὶ τὰς ἐμφυτείας ἱκανῶς εἰρήσθω.* Sed cum a Theophrasto praecepta de utraque re accurate distinguantur, apud Varronem ea, quae ad inoculationem spectant, prorsus perverse ad insitionem referuntur ac cum eis, quae revera ad insitionem pertinent, in doctrinam falsissimam quasi conferruminantur. Quae infra luculentius apparebunt.

Nunc ad singula convertamus. Prima sententia continet dispositionem, et quidem de quaestione „qua ex arbore in quam transferatur“ agitur inde a „non enim pirum“ usque ad „quo veniat arbor“ § 6; de quaestione „quo tempore“ ab initio capitis 41 usque ad „existimatur ea inseri“ § 2. Denique de „quem ad modum obligetur“ inde a „quae autem natura“ usque ad „ut in ficis“ § 3. Quae dispositio tripartita iterum ex Theophrasto est sumpta. Is enim c. pl. I 6, postquam in § 1 in universum de inoculatione et insitione egit, in § 2 quasi quaestionem primam profert scribens: *εὐπρόσφυτον δ' ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον· ὁ δὲ ὀφθαλμὸς ὥσπερ ὁμογενές,* i. e. „quid inseratur“. Agitur autem hac paragrapho de hac re in universum, §§ 4 et 5 de inoculatione, § 10 maxime de insitione. — Quaestio secunda in universum tractatur § 3: *εὔλογοι δὲ καὶ αἱ ὧραι, μᾶλλον δὲ ἴσως ἀναγκαῖαι καθ' ἃς καὶ ὅλως ἐπιβλαστήσεις γίνονται;* de inoculatione agitur § 6, de insitione § 9. — Quaestio tertia tractatur §§ 7 et 8, et quidem illa maxime inoculatio, hac insitio: *ὀρθῶς δὲ καὶ διατηρεῖν ἀρραγῆ τὸν ὀφθαλμὸν καὶ τὸν φλοιὸν καὶ τὸ ἔνθεμα οὕτως ἀποξύειν ὥστε μὴ*

γυμνοῦν τὴν μήτραν. Cum non ita perspicuum sit haec in hoc Theophrasti capite tam bene esse disposita, non timeo, ne quis neget eum, qui Theophrastum exscripsit, fuisse non minus diligentem quam sagacem. Cui rei manifesta Varronis neglegentia mirum in modum repugnat.

Iam in singula inquiramus. Verba: „non enim pirum recipit quercus neque enim si malus pirum", etsi ad verbum apud Th. non exstant, tamen facile colligi potuerunt et ex verbis, quae in proxima pagina lin. 39/40 exscripsi, et ex his c. pl. I 6, 4: *δι' ὃ καὶ εἰς τὰ παραπλήσια φύσει καὶ ἡλικίᾳ κάλλιστος ὁ ἐνοφθαλμισμός.* Keilius in commentario ad h. l. p. 98 de brevitate dicendi recte adnotat: „neque enim si malus pirum" h. e. „neque enim si malus pirum recipit, pirum recipit quercus".

Proxima: „hoc secuntur multi, qui haruspices audiunt, a quibus proditum in singulis arboribus quot genera insita sint, uno ictu tot fulmina fieri illut, quod fulmen concepit", in genuinum sententiarum conexum fortasse a Varrone ipso sunt interposita. Idem fere invenitur apud Plinium n. h. XV 57: „neque omnia insita misceri fas est, sicut nec spinas inseri, quando fulgura expiari non queunt facile. quotque genera insita fuerint, tot fulgura uno ictu fieri pronuntiatur".

Paullum discrepantia a Theophrasti doctrina proferuntur verbis: „si in pirum silvaticam inserueris pirum quamvis bonam, non fore tam iucundam, quam si in eam, quae silvestris non sit". Ille enim docet c. pl. I 6, 10: *εὔλογον δὲ καὶ καλλικαρπότερα ταῦτα γίνεσθαι καὶ μάλιστα ἐὰν τὰ ἥμερα εἰς τὰ ἄγρια τιθῆται τῶν φυτῶν. εὐτροφία γὰρ συμβαίνει πλείων διὰ τὴν ἰσχὺν τῶν ὑποκειμένων κτλ. ἐπεὶ εἴ γέ τις ἀνάπαλιν τὸ ἄγριον εἰς τὸ ἥμερον ἐμβόλλοι, διαφορὰν μέν τινα ποιήσει, τὸ δὲ καλλικαρπεῖν οὐχ ἕξει.* Varro igitur opponit insitioni in arborem feram insitionem in mansuetam, ut ita dicam, Theophrastus contra insitionem mansuetae in feram insitioni ferae in illam. Tum Varro aperte dicit pirum in eam, quae silvestris non sit, insitam iucundiorem fieri quam eam, quae in silvestrem insita sit, Theophrastus autem docet incundissimos fructus fieri, si mansuetae arbores in feras inserantur. Ex *μάλιστα* sequitur hoc minus fieri, si mansuetam arborem in mansuetam inseras.

Sententia proxima: „in quamcunque arborem inseras, si eiusdem generis est, dumtaxat ut sit utraque malus, ita inserere oportet referentem ad fructum, meliore genere ut sit surculus, quam est quo veniat arbor", expressa est sine dubio ex c. pl. I 6, 10 (cf. supra vs. 23). Res mali exemplo est illustrata, quod a Cassio Dionysio esse factum infra pluribus confirmabitur.

Iam aggrediamur ad verba „est altera species ex arbore in arborem inserendi nuper animadversa in arboribus propinquis. ex arbore, qua vult habere surculum, in eam, quam inserere vult, ramulum traducit et in eius ramo praeciso ac diffisso implicat, eum locum qui contingit, ex utraque parte quod intro est falce extenuatum, ita ut ex una parti quod caelum visurum est, corticem cum cortice exaequatum habeat. eius ramuli, quem inseret, cacumen ut derectum sit ad caelum

curat. postero anno, cum conprendit, unde propagatum est, ab altera arbore praecidit".[1]) Quae exspectatione magis nostram opinionem confirmant. Supra vidimus prorsus ad dispositionis ordinem, quo propositae sunt, singulas quaestiones tractari. Ex quibus ultima est: „quem ad modum obligetur", quae transitu ab antecedente parte prorsus confuso praeceptis plerumque ex Theophrasto haustis illustratur, et quidem non modo agitur de ratione obligandi, sed, id quod artissime cohaeret, etiam inserendi (c. 41, 2 sq.). Si vero omnino ullum in locum, huc tantum quandrant haec verba, et quidem poni non possunt nisi post: „horum natura aridiora, continuo" § 3. Hoc cum non factum sit, procul dubio efficitur, ut haec verba non ab eo, qui dispositionem illam tripartitam ex Theophrasto haustam recepit ac diligentissime in singulis rebus tractandis respexit, hic sint interposita, sed ab alio quodam, qui dispositionem prorsus neglegens vel potius omnino non perspiciens haec inter primam et secundam partem adiecit. Quod modo conclusimus, confirmatur gravissimo argumento eo, quod legitur: „est altera species . . . nuper animadversa", cum nulla omnino antecedat. Ut hoc statim addam: Id, quod hoc ipso loco ille haec interposuit, certe propterea factum est, quod in § 6 paulo ante legitur: „ita inserere oportet", quorum verborum similitudine adductus suum hic interiecit. Hoc utrum Varro fecerit an Diophanes, nam Cassius Dionysius in censum venire non potest, nihil refert ad id, quod inde efficitur: Nemo iam neget eum, qui haec interposuit aut interposita recepit, hanc rerum dispositionem ipsum non fecisse, nam certe circulos suos ipse non foedissime, sicut nunc fit, perturbasset. Sequitur igitur, ut ab alio quodam eam susceperit. Sed cum porro dubium non sit, quin ille auctor, qui res disposuit, item ex ordine eas tractaverit, efficitur, ut omnia ea praecepta, quae secundum dispositionem ab iis, qui eius opere usi sunt, prorsus neglectam disposita sunt, a nullo alio atque ab illo auctore sint prolata, ab eis autem, qui exscripserunt, simpliciter sint translata. Hoc est, ut ea, quae eruimus, in usum nostrum convertamus: Varro non ex ipso Theophrasto haec praecepta hausit, sed ex Cassio Dionysio, quem ipse Theophrastum excerpsisse tradit. Quod eo plus valet, quod dispositio est simplicissima ac perpauca tantum continet.

Quodsi quaeras, utrum haec verba interiecisse arbitrer, Varronem an Diophanem, dubitem, quid respondeam. Cum enim Sasernarum et imprimis Tremellii Scrofae libri, ex quibus Varro sicut alia haec quoque haurire potuit, iam non exstent, andacis esse mihi videtur negare haec a Varrone, etsi non ita scite, esse addita, praesertim cum Romanis haec inserendi ratio nota esset. Nam Cato c. 41, 2 scripsit: „altera

---

[1]) cf. Keilius com. p. 99/100. Verborum ordo qui sit, cum non facile intellegatur, e re erit difficillima ex ordine exspectato afferre: . . . et in eius ramo praeciso ac diffisso inplicat eum locum qui contingit ita, ut, quod intro est, ex utraque parte falce extenuatum ex una parti, quod caelum visurum est, corticem cum cortice exaequatum habeat. — Itaque post „inplicat" interpungi non licet, sicut Keilius fecit.

insitio est, si vitis vitem contingit, utriusque vitem teneram praeacuito, obliquo inter sese medullam cum medulla libro conligato". Neque aliter res in Diophane se habet, ita ut potius hoc in medio relinquam atque iam pergam Varronis errores detegere.

In prima capitis 41 paragrapho de secunda dispositionis parte agitur, scilicet de tempore. Legimus autem: „Quo tempore quaeque transferas, haec in primis videnda, quae prius verno tempore inserebantur, nunc etiam solstitiali, ut ficus, quod densa materia non est et ideo sequitur caldorem. a quo fit, ut in locis frigidis ficeta fieri non possint". Ex his verbis Theophrastea non sunt „quae prius . . . solstitiali, ut ficus". Contra proxima, non tam ad usum cotidianum spectantia quam huius rei causam indagantia, Theophrastum quasi redolent, ex quo revera fluxerunt. Legitur enim c. pl. I 8, 4: *ῥόα μὲν γὰρ καὶ συκῆ καὶ ἄμπελος εὐαυξῆ, φοῖνιξ δὲ καὶ κυπάριττος καὶ δάφνη καὶ πεύκη καὶ ἐλάα δυσαυξῆ.* Ea autem, quae *εὐαυξῆ* sunt, simul esse *μανά*, id est mollia vel „non densa" et humida elucet ex verbis antecedentibus § 3: *σημεῖον δὲ καὶ τὸ κατὰ τοὺς τόπους καὶ τὰς φυτείας συμβαῖνον· ἐν μὲν γὰρ τοῖς εὐδιεινοῖς καὶ ἀπνευμάτοις, ἔτι δὲ ὅταν ἡ φυτεία πυκνή, εὐαυξῆ μὲν τὰ δένδρα, μανὰ δὲ καὶ ὑγρὰ μᾶλλον. ἐν δὲ τοῖς πνευματώδεσι καὶ ψυχροῖς καὶ τῇ φυτείᾳ μανῇ ἀναυξέστερα μέν, πυκνότερα δὲ καὶ ξηρότερα.* — Verba „a quo fit . . . fieri non possint" Varro nullo negotio de suo addere potuit. Sunt enim satis vilia.

Quae sequuntur, verbotenus fere translata sunt. Theophrasto enim c. pl. I 6, 6: *τὸ δ' ὕδωρ* (i. e. pluvia) *τῷ μὲν ἐνοφθαλμισμῷ πολέμιον, ἐκσήπει γὰρ καὶ ἀπόλλυσι παραρρέον διὰ τὴν ἀσθένειαν· δι' ὃ καὶ ἐπὶ κυνὶ δοκεῖ ἀσφαλέστατος εἶναι,* ad verbum fere respondent haec Varronis: „aqua recenti insito inimica: tenellum enim cito facit putre, itaque caniculae signo commodissime existimatur ea inseri". Nihil his in verbis nos offendit nisi id, quod Varro aut Diophanes male intellegens ea, quae auctor sicut Theophrastus certe de tempore inserendi in universum protulit, ad unam ficum rettulit.

Priusquam longius procedimus, ea inspiciamus, quae Theophrastus docet, ut plane appareat, quantopere Varro in proximis erraverit. Hic (i. e. Th.) inoculationem et insitionem diligenter distinguit, et quidem illam adiuvat, si locus plantae, in quam inseritur, humidus est, ne humor necessarius[1]) unquam deficiat. Humor enim interior inoculationi prodest, exterior obest. Quod discimus c. pl. I 6, 5: *ἔτι δεῖ . . . τὸν τόπον αὐτῆς ὑγρὸν εἶναι πᾶν τὸ θέρος, καὶ ἀπὸ τούτων μάλιστα πάντων βλαστάνει· διὰ τοῦτο οἴονταί τινες καὶ τέτταρας καὶ πέντε μῆνας ἀρδεύεσθαι τὴν ἐμφυτείαν. τὸ δ' ὕδωρ τῷ μὲν ἐνοφθαλμισμῷ πολέμιον.* Insitio contraria utitur condicione. Ad hanc enim oportet plantam, in quam inseritur, non ita esse humidam, quod nisi fit, ut in vite, arte impetratur § 8: *χρὴ δὲ καὶ τῆς ὑγρότητος τῆς αὐτῶν συμμετρίαν τινὰ*

---

[1]) cf. c. pl. I 6, 1: *ἀλλ' ἐνταῦθα δῆλον ὅτι καὶ τὸ βλαστάνον καὶ τὸ γεννῶν ἡ ὑγρότης ἐστὶν ἡ γόνιμος.*

ὑπάρχειν, δι' ὃ καὶ τὴν μὲν ἄμπελον προαποτέμνουσι ἡμέραις τρισὶ πρότερον, ὅπως προαπορρυῇ τὸ δάκρυον καὶ μὴ σήπηται μηδ' εὐρωτιᾷ· ῥόα δὲ καὶ συκῇ καὶ ὅσα τούτων ἐστὶ ξηρότερα παρὰ χρῆμα. Ne vero surculus, qui inseritur velut in vitem, propter exiguitatem humoris exarescat, aut vulnus argilla oblinitur aut faciunt, ut aqua lente eo stillet. Quae proferuntur his verbis ibid. § 6: *τῇ δ' ἐμφυτείᾳ χρήσιμον ἂν μὴ ᾖ ὑγρὸν τῇ φύσει· δι' ὃ καὶ οἱ μὲν αὐτῷ πηλὸν ἐπικολλαίνουσιν, οἱ δὲ χύτραν προσβάλλουσιν ὕδατος ὥστε κατὰ μικρὸν ἐπιρρεῖν· ἀναξηραίνεται γὰρ ἂν τύχῃ μὴ ἔχοι ὑγρότητα διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἑλκώσεως.*

Inde Varro miram effecit doctrinam. Sine ulla veri rerum conexus scientia miratus est discrepantiam, quae intercedere videtur inter verba „aqua recenti insito inimica“ et „vas aliquod supra alligant, unde stillet lente aqua“. Illic enim aqua nocere dicitur, hic prodesse. Quam rem ita tollere studuit, ut scriberet „quae a u t e m natura minus sunt mollia“, his opponens ficum, cuius materia non densa, hoc est mollis est. Haec simul est causa, cur Varro non „humida“, sed „mollia“ posuerit. Illud enim proprie desiderari iam Gentillius l. l. p. 119, 1 animadvertit, quamquam „mollia“ ex parte tantum falsum est, cum ea, quae sunt *μανά*, item sint *ὑγρά* ipso Theophrasto auctore. Sic, ut Varro sententiarum cursum instituit, necessario „mollia“ retinetur, id quod Gentillium fugit.

Proxima verba: „cuius surculi corticem integrum servandum et eum sic exacuendum, ut non denudes medullam, ne extrinsecus imbres noceant aut nimius calor, argilla oblinendum ac libro obligandum“ respondent his ibid. § 7: *ὀρθῶς δὲ καὶ διατηρεῖν ἀρραγῆ (τὸν ὀφθαλμὸν καὶ) τὸν φλοιὸν καὶ τὸ ἔνθεμα οὕτως ἀποξύειν, ὥστε μὴ γυμνοῦν τὴν μήτραν.*[1] (*ῥαγέντος γὰρ ἢ γυμνωθείσης ἀναξηραίνεται καὶ διαφθείρεται*). *διὰ τοῦτο γὰρ καὶ περιδοῦσι φιλύρας ἔξωθεν φλοιῷ καὶ ἐπὶ τούτοις περιαλείφουσι πηλῷ (τετριχωμένῳ) ὅπως (ἔμμονος ἡ ὑγρότης ᾖ καὶ) μηθ' ἥλιος μηθ' ὕδωρ (μήτε ψύχος) παραλυπῇ,* etsi Varroniana summa tantum reddunt.

Sententiarum conexu prorsus deleto proxima adnectitur sententia: „itaque vitem triduo antequam inserant desecant, ut qui in ea nimius est umor defluat, antequam inseratur“. Quid enim particula „itaque“ cibi velit, ex verbis Varronis non apparet, contra optime ex Theophrasto (cf. p. 56, v. 44 sq.). Varro igitur leviter exscribens hic ipso labore sonexus alicuius restituendi supersedit, atque insuper eum gravissime errantem deprehendimus. Cum enim converteret: *δι ὃ καὶ τὴν ἄμπελον προαποτέμνουσιν ἡμέραις τρισὶ πρότερον ὅπως προαπορρυῇ τό δάκρυον,* non de vinea, i. e. Weinstock, sicut unum est rectum, sed de vite, i. e. Weinrebe, cogitavit. Quod, quamquam haec ipsa verba facile in utramque partem interpreteris, manifestum fit verbis, quibus alterum praeceptum incipit: „aut i n q u a m inserunt, i n e a paulo infra, quam insitum est, incidunt, qua umor adventicius effluere possit“. Inde enim, quod verba

---

[1]) cf. geop. X 75, 8.

significata tam eximio loco posuit, cognoscitur eum hoc praeceptum de planta, in quam inseritur, illud de ea, quae inseritur, posuisse. Qua in re Schneider acquievit dicens (comment. p. 348) Varronem, cum prius praeceptum scriberet, cogitasse de simili re eis, quae velut geop. X 75, 14 proferuntur. Nec Keilius ulla re offensus est. At nos maximopere offendimur. Quae enim est ratio inter haec duo praecepta, quae ut particula „aut“ coniuncta certe de eadem re impetranda ab eo, qui primus posuit, prolata sunt? Priore de surculo tribus diebus, antequam inseratur, desecando verba fiunt, posteriore de vite incidenda, ut humor adventicius effluere possit. Hoc is, qui secundum praeceptum adiecit, impetrare noluit. Res potius ita se habet: Varro non perspexit, quae ratio intersit inter haec duo praecepta, nempe utrumque docere, quo modo impediatur, ne nimius humor surculo insito noceat. Theophrastus praecipit, ut hanc ob rem tribus diebus ante insitionem vinea desecetur. Sic enim nimius humor effluit nec remanet nisi tanta copia, quanta iam non obest. Eum, qui alterum praeceptum addidit, haec verba sic ut ego interpretatum esse ipso hoc altero praecepto confirmatur. Eo enim periculum, ne nimius humor noceat, ita tollitur, ut infra locum, quo insitum est, in corticem incidatur, quo ex vulnere nimius humor effluit, priusquam ad insitum pervenit. Haec igitur est altera ratio inserendi, quae multo melior et commodior quam Theophrastea est, cum sic fieri possit, ut, simulac vitis desecta est, statim inseratur. Si intelleximus hanc esse rationem inter has duas sententias, tum demum explicatur, cur alterum praeceptum hoc ipso loco stet. Eximie enim huc quadrat nec minus bene particula „aut“ hic legitur, cuius in verbis Varronianis nullus est locus. Ut enim prius praeceptum Reatinus recte converterit, tamen, si surculum admodum siccatum in vitem modo resectam inserueris atque argilla et libro vulnus obligaveris, in hac nimius humor inest ac, cum nusquam evadere possit, aut putrescit, aut efficit, ut surculus insitus, ut termino technico vernaculo utar, „ersäuft“. Quae cum ita sint, pro certo statuimus Varronem haec duo praecepta non modo ex opere auctoris, qui scite ea protulerat, exscripsisse, sed etiam insuper prius prorsus male interpretatum esse. Ille autem auctor fuit Cassius Dionysius, cui non dubito hoc alterum praeceptum attribuere, cum propterea, quod solus is, qui Theophrasti praeceptum recte interpretatus erat, hoc alterum, quo idem impetratur, addere potuit, tum, quod omnino hic interiecit, h. e. dispositionem diligenter respexit, quam ab eo, qui illud additamentum supra tractatum adiunxit, prorsus esse neglectam vidimus. Efficitur igitur procul dubio, ut Varro denuo non ipsum Theophrastum, sed Cassium Dionysium a Diophane decurtatum exscripserit.

Ut etiam id absolvam, quod Schneider, ut supra dixi, censuit Varronem in animo habuisse simile eis, quae in geop. X 75, 14 sq. proferuntur: *δεῖ δὲ τὰ ἐνθέματα ληγούσης τῆς σελήνης λαμβάνειν πρὸ ι' ἢ καὶ πλειόνων ἡμερῶν τοῦ ἐγκεντρισμοῦ καὶ ταῦτα κατατίθεσθαι ἐν ἀγγείῳ κεκαλυμμένῳ ἀσφαλῶς, ὡς μὴ διαπνευσθῇ*, equidem persuasum habeo ne hanc quidem rem in censum venire. Si enim vidimus,

quam ob causam id, quod ex geoponicis discimus, fiat, scilicet § 17: *ἐὰν γὰρ ἔτι ζέον καὶ ὠγκωμένον τὸ ἔνθεμα παραχρῆμα εἰς τὸ ὑποδεχόμενον ἐμβληθῇ, πᾶσα ἀνάγκη πρὸ τοῦ τὴν ἕνωσιν γενέσθαι ἀπομαρανθῆναι μικρόν τι τοῦ ἐνθέματος καὶ χαύνωσιν γενέσθαι μεταξὺ τοῦ ἐντεθέντος καὶ τοῦ ὑποδεχομένου ξύλου, καὶ λοιπὸν εἰς τοὺς μεταξὺ κοίλους τόπους ὁ ἀὴρ εἰσδύνων οὐκ ἐᾷ τὴν σύμφυσιν γενέσθαι*, hanc rem apud Varronem et apud Theophrastum supervacaneam esse apparet, cum hi id ita impediant, ut vulnera argilla oblinant et libro obligent, ne afferam Theophrasti verba ibid. 8: *καὶ ὅταν σχίσαντες ἐντιθῶσι τὸ ἔνθεμα σφηνοειδὲς ποιήσαντες ἐν σφύρᾳ*[1]) *ἐλαύνουσιν ὅπως ὅτι μάλιστα προσαχθῇ*. Hic huius rei commemorandae non minus occasio erat data quam cum scriberet ibid.: *ῥόα δὲ καὶ συκῆ καὶ ὅσα τούτων ἐστὶ ξηρότερα παρὰ χρῆμα*, quae verba Varro sic convertit: „contra in fico et malo punica et siquae etiam horum natura aridiora, continuo“. Quamquam non negem Varronem de illa re cogitasse.

In ultima denique huius partis sententia verborum contextum satis mirum Keilius exhibet: „in aliis translationibus videndum, ut quod transferat [in] cacumen habeat gemmam, ut in ficis“. Hic enim quomodo „transferat“, quod teste Schneidero Victorianus habet, interpretetur, non video, cum necessario passivum requiratur. Schneider habet „transfertur“, ego vero potissimum cum Pontedera „transferatur“ scribam. syllaba „ur“ praepositionis „in“ locum optime explet ac facillime in eam commutari potuit. — Quantum attinet ad res, vix dubitari potest, quin Varro haec verba, quae apud Theophrastum non exstant, male intellexerit, cum non in aliis, sed in omnibus translationibus oporteat surculum inserendum habere gemmam.

Iam restant §§ 4 et 5 tractandae, quae non forte, sed iterum secundum ordinem Theophrasteum post omnia haec positae sunt. Is enim, postquam de omnibus seminum generibus egit, inde a capite c. pl. I 7 ea variis rationibus tractat, ex quibus una est ea, cur in quibusdam plantis seminum proprie dictorum loco surculos adhibere magis expediat. Quam quaestionem ibid. c. 8, 1 instituit hisce exordiens verbis: *εὐβλαστῆ δὲ καὶ εὐαυξῆ τὰ ἐκ τῶν φυτευμάτων μᾶλλον ἢ ἐκ τῶν σπερμάτων εὐλόγως ἄλλως τε καὶ ὑπόρριζ' ἂν ληφθῇ*, quae verba apud Varronem in universum recte referuntur his: „De his primis quattuor generibus seminum quaedam quod tardiora, surculis potius utendum“. Keilius (comm. p. 101) vocem „primis“ bene sic explicat: „haec quattuor autem genera seminum prima dicuntur non propter naturam seminum, sed propterea, quod ea divisio primaria[2])

---

[1]) Quid *ἐν σφύρᾳ ἐλαύνουσιν* sibi velit, equidem non video. Scribendum esse mihi videtur: *σφύρᾳ ἐνεῖ.*

[2]) cf. V I 5, 3: „Scrofa, Agri culturae, inquit, quattuor sunt partes summae“; ibid. 4: „de his quattuor gener ⟨alibus part⟩ ibus singulae minimum in binas dividuntur species“. Paulo infra: „de primis quattuor partibus prius dicam, deinde subtilius de octo secundis“. Quamquam, quod promittit, minime facit; sed ab initio capitis VI continuo de priore primae partis specie agit. Nec non in ceteris partibus summis idem fit. Si promisso stetisset, similiter atque

est. nam in uno quoque genere plures et diversae sunt species seminum".

Causam, cur in plantis quibusdam semina proprie dicta non adhibeantur, Theophrastus hanc affert: *προϋπάρχει γὰρ πολλὰ τῶν μορίων, ἃ δεῖται μόνον τροφῆς. τῶν δ' ἐκ τῶν σπερμάτων ἅπαντα ταῦτα ἀνάγκη γεννᾶσθαι πρῶτον, ἔπειθ' οὕτως αὐξηθῆναι.* Apud Varronem contra pro omnibus seminibus „fici semen naturale intus in ea fico, quam edimus, quae sunt minuta grana" exempli gratia introducitur — quod neminem per se offendet —, causa autem iam non est Theophrastea, sed Varro eam quaerit in eo tantum, quod fici semina sint parva, ex quibus sicut ex oleae semine (ibid. § 6) „enasci coliculi vix queunt". In hac re quamquam certe aliquid veri est, tamen proxima demonstrant Varronem veram causam non novisse, nam credit haec: „omnia enim minuta et arida ad crescendum tarda"; persuasum autem habeo eum apud auctorem pro „minuta" legisse *πυκνά*, huius autem adiectivi loco substituisse „minuta", quod hoc tantum in sententiarum ordinem quadrat, quem sibi de his rebus finxerat, cum id nihili faceret aut omnino non animadverteret, quod ita verbum „laxiora" contrario spoliabatur et una fiebat, ut vir minor quam femina esse diceretur. Haec quam insignia sint ad perspiciendum, qua ratione, i. e. quanta neglegentia Varro ea, quae apud Diophanem inveniebat, expresserit, nemo non videt.

Omnia, quae hac ampla parenthesi a Schneidero primo perspecta continentur, ad Theophrastum redeunt. Respondent sibi deinceps haec verba: „omnia enim minuta et arida ad crescendum tarda, ea, quae laxiora, et fecundiora" et § 2: *τὰ μὲν γὰρ πυκνὰ καὶ ξηρὰ δυσαύξητα . . . θατέρου δ' ἐν ὀλίγῳ πολλὴ* (sc. *ἐπίδοσις*) *διὰ τὴν μανότητα;* „ut femina quam mas et proportione in virgultis item: itaque ficus, malus punica et vitis propter femineam mollitiam ad crescendum prona, contra palma et cupressus et olea in crescendo tarda: in hoc enim umidiora quam aridiora"[1]) et ibid. § 4: (*φανερὸν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων τοῦτο συμβαῖνον καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων·*) *εὐαυξέστερα γὰρ τὰ θήλεα τῶν ἀρρένων* (*ὑγρότερα καὶ μανότερα τὴν φύσιν ὄντα.*) *δῆλον δὲ καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν δένδρων· ῥόα μὲν γὰρ καὶ συκῆ καὶ ἄμπελος εὐαυξῆ, φοῖνιξ δὲ καὶ κυπάριττος* (*καὶ δάφνη καὶ πεύκη*) *καὶ ἐλάα δυσαυξῆ*". — Quod attinet ad totum locum, animadvertam Theophrastum haec verba non tam de seminibus

---

in libro II rem instituere debuit, ubi inde a cap. I 13 novem partes, quas in quoque animali fecit, usque ad I 24 in universum tractat.

[1]) Ultima verba quomodo explicanda sint, nescio. Keilii enim adnotatio comm. p. 102: „nam hoc dicit Varro, in crescendo potiora habenda esse ea, quae umidiora quam quae aridiora sunt" recta esse mihi non videtur. Exempla enim, quae ibid. p. 94, 2 adnotavit, alia sunt indole neque inde quicquam de his verbis colligi potest. Praeterea haud scio, an sensus, qui Keilii explicatione efficitur, omnino non desideretur. Fateor me in dubio esse, cum neque apud Kuehnerum (Lat. Grammatik II 2 p. 970 sq.) neque apud Krumbiegelium (De Varroniano scribendi genere quaestiones p. 17 sq.) quicquam invenerim neque apud Varronem simile mihi occurrerit. Locus certe est emendandus.

facere quam de eo, utra crescendi celeritate appetita sint praeferenda: ea, quorum πόροι sint recti, ita ut omnia, quae ad crescendum opus sint, facile eo, ubi planta eis eget, pervenire possint (cf. c. pl. I 8, 2) an ea, quae sint laxiora et humidiora. Qua in re his dat principatum.

Parenthesi conclusa Varro affert praecepta ex eis. quae antea exposuit, collecta, scil.: „quare ex terra potius in seminariis surculos de ficeto quam grana de fico[1]) expedit obruere, praeter si aliter nequeas, ut siquando quis trans mare semina mittere aut inde petere vult. tum enim resticulam per ficos, quas edimus, maturas perserunt et eas, cum inaruerunt, conplicant ac quo volunt mittunt, ubi obrutae in seminario pariant. sic genera ficorum, chiae ac chalcidicae et lydiae et africanae, item cetera transmarina in Italiam perlata. simili de causa, oleae semen cum sit nuculeus, quod ex eo tardius enascebatur colis quam ex aliis, ideo potius in seminario taleas, quas dixi, serimus". Haec omnia cum artissime cum eis cohaereant, quae antea certe ex auctore Varro exscripsit, non dubitem, quin item res de his se habeat. In fonte haud dubie fuit nomen Graeciae, quod Reatinus in Italiam commutavit.

§ 5. Iam ad finem pervenimus horum capitum inquisitionis, quam nimis amplam me fecisse ne quis dicat, non timeo. Nam ita tantum, ut Varronem accuratissime cum Theophrasto conferremus, contigit, ut simul duo erueremus: alterum, quatenus Theophrastus toto hoc loco auctor sit, alterum eum a Varrone ipso non esse expressum, sed a Cassio Dionysio, quem a Diophane tractatum Varro exscripsit. Hoc confidenter contendere iam non dubito, cumque haud ignorem, quid adversarii nostri oppositnri sint, iam illud telum eis eripiam. Negabunt ex erroribus supra deinceps demonstratis de auctore quicquam colligi licere, cum Reitzensteinius in libro, cui inscripsit: „M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita 1901" ostenderit Varronem auctores ab ipso inspectos festinanter ac mendose transtulisse (cf. imprimis p. 37, 47, 49) atque ipse (p. 59, adnot. 2) animadverterim, quam non Varro dispositionem ab ipso statutam respexerit. Haec hac in re quam nihil valeant, statim apparebit. Propter id ipsum enim, quod haec opponi possunt, supra ubique ostendi ac praedicavi, quanta diligentia ac sagacitate is, qui horum omnium est auctor, Theophrastum expresserit, quanta vero neglegentia ac levitate eadem a Varrone composita sint. Itaque minime solis illis erroribus nitor, sed etiam atque id maxime, ut ita dicam, discrepantia illa psychologica, quae statuenda esset, si Varronem Theophrastum diligentissime expressisse, at neglegentissime, quae excerpserat, composuisse putaremus. Quae discrepantia ratione sana explicari non potest, contra tollitur, si hominem diligentem Cassium Dionysium, neglegentem Varronem fuisse statuimus.

---

[1]) Cassii Dionysii proprium fuisse videtur rem universam certo exemplo illustrare. Sicut enim hic ficum affert, I 40, 5 pirum et quercum, ibid. § 6 malum (cf. p. 54) posuit, nec non haec etiam est causa, cur I 44, 4 (cf. p. 41 sq.) ad eum redire credam.

Attingam tantum id, quod aliquis etiam in eam incidere possit opinionem, ut dicat Varronem quidem haec ex Theophrasto ipso non hausisse, minime autem iam esse demonstratum ex Cassio Dionysio ea fluxisse, cum etiam Mago litteris peripateticis usus sit. Fieri igitur potuisse, ut omnia haec ex versione Latina Varro hauriret. Video enim, quantum attinet ad illud, Stadlerum (Abhandlg. etc. p. 186) argumentis non allatis secutum Schneiderum (indices V p. 87) putasse Magonem Graecos adisse, nec non idem Gentillius (l. l. p. 153, 3) paucis locis demonstrare conatus est. De illis verba facere mittamus, huius vero argumentatione diligenter in examen vocata apparuit eam nihil omnino valere ad tantam rem comprobandam. — Quod vero attinet ad hoc, Gentillius miram Reitzensteinii opinionem amplexus est l. l. p. 153 haec ponens: „Qua in re optime Reitz. animadvertit, cum Varro bis Magonem et Dionysium simul laudaret (II 1, 27; III 2, 13), utroque eum usum esse ita, ut pleraque e latina versione, e Graecis autem quae 'praescripto interpretis nomine' proferret, hauriret". Quam opinionem esse perversam nemo iam neget, postquam demonstratum est multo plura, quam quae expressis verbis Cassio attribuuntur, inde esse hausta.

Atque ut etiam hoc statim adiungam, certe non Cassium ipsum, sed Diophanem Varro adhibuit, quod sic tantum explicatur, quomodo noster in errores tam graves incidere potuerit, scilicet propterea, quod Diophanes Cassii opus circumcidens saepius rerum conexum ita instituerat, ut ipse quidem, quippe qui Cassium integrum novisset, verbis quibusdam deletis adhuc sciret, quid sit dictum, Varro contra hoc iam non perspicere posset. Quam rem etiam infra hic illic comprobari videbimus.

Quodsi toto hoc loco inde a cap. 39, 3 usque ad 41, 6, quo Theophrastus uberrime est expressus, Varro Theophrastum non inspexit, multo magis idem in ceteros Theophrasti locos valet. Si enim qua, certe haec conclusio est iusta, cum nemo putare possit loco, quo amplissime Th. est exscriptus, Varronem Cassio interprete esse usum, cetera vero frustula ex fonte primo ipsum hausisse. Atque idem sane de Aristotele statuitur, siquidem quis etiam hunc praeter oeconomica auctorem esse censeat. Hunc enim ipsum Varronem inspexisse vel eo incredibile redditur, quod loco, quo uno Aristotelem nominatim laudat, falso, ut nunc constat, eum de illa re egisse suspicatus est. Consulto dico „suspicatus est", cum hoc multo gravius sit, quam si error simplex in censum veniret. Praeterea Aristoteles inter auctores adeo eundem gradum ac. Th. obtinet, ut etiam illo errore misso nemo iam autumare possit Aristotelem a Varrone ipso esse adhibitum. Itaque, siquidem praeter oeconomica adhibitus est, huius quoque doctrinam Varro ex Cassio habet.

Una eruimus Aristoteli maxime, siquidem eum perlegit, fortasse propterea, quod is sicut Varro harum rerum ipse non erat peritus, Cassium D. minime tantam tribuisse auctoritatem, quantam nos etiam in his rebus ei tribuere, ut puto, nimis parati sumus. Hanc imprimis ob causam adhuc et Schneider et Keilius et Gentillius ad Aristotelem et Theophrastum rettulisse videntur, quaecunque eorum aliquatenus

similia sunt. — Idem efficitur, si mecum putes Aristotelem praeter oeconomica non esse expressum. Sic enim Cassius eum neglegi licere censuit. Qua cum re congruit, quod Varro certe a Cassio D. receptum I 5, 2 Stolonem de Theophrasto hoc iudicium proferentem facit: „Isti, inquit, libri non tam idonei iis, qui agrum colere volunt, quam qui scholas philosophorum; neque eo dico, quo non habeant et utilia et communia quaedam". Hac ex laude dilucide apparet, qua auctoritate merito certe apud scriptores non tam doctrinam quam usum cotidianum spectantes Theophrastus atque item haud dubie Aristoteles usi sint. Nec fortuito factum esse mihi videtur, ut ipso loco supra tractato Cassius Theophrastum adiret, scilicet quod harum quidem rerum narratio melior ac magis perspicua Theophrastea inveniri non potuit (cf. adnot. 2 p. 32).

Valde doleo, quod Fortuna voto meo non subscripsit, cum praeter Hesiodi, Xenophontis, Aristotelis, Theophrasti libros, qui adhuc superstites sunt, omnes prorsus perire sivit. Molestum enim est sine certis argumentis de reliquis auctoribus Graecis velut Menecrate et Archelao, quos item amplius esse expressos supra statuimus, verba facere. Sed, ut res se habent, nihil aliud nobis relinquitur atque ut proferamus, quae sit nostra opinio. Verisimillimum certe est Varronem, quoniam Theophrastum ipse non inspexit, ne ceteros quidem Cassii Dionysii auctores ipsum adisse, sed item per hunc in libros suos recepisse. Quod ne credamus, nihil nos impedit; certis autem rebus neque ipsi niti possumus neque adversarii nos redarguere poterunt.

Quae cum ita sint, restat ut ostendamus, quatenus Varro fontem exscripserit. Quam ad rem idonea maxime sunt geoponica, quae iam in tertio capite cum Varrone conferemus.

Caput III.

Cassii Dionysii Uticensis epitome, quae anno fere a. Chr. n. 88 orta est,[1]) sicut ex manibus auctoris prodiit, iam non exstat. Item periit Diophanis epitome, quae annis fere 80—70 facta est (cf. Stadler ibid.), neque alia fortuna usus est Pollio Trallianus, qui teste Suida (sub *Πωλίων*) Diophanis *γεωργικά* duobus libris comprehendit. Quas ob res, cum Varronis verba cum fonte ipso comparari non possint. quaerendum est, num alia ratione praeter locos, quibus Cassius et Diophanes apud Varronem nominatim laudantur,[2]) et eos, quos Cassius

[1]) cf. Meyer, Geschichte der Botanik I p. 301; Schneider vol. V p. 336 sub Sextilius; Stadler (Quellen etc.) p. 17; Reitz., de scr. etc. p. 48.

[2]) Cassius D. I 17, 3; I 38, 1, 2; II 1, 27; III 2, 13; Diophanes I 9, 7.

D. ex Aristotele fortasse, Theophrasto, Menecrate, Archelao hausit, etiam plures ad Cassii epitomen referamus. Viam, qua hoc fieri potest, monstravit Buecheler, primus Heinzius (l. l. III) ingressus est, qui, ut hoc repetam, admodum multos locos ex Varrone, Columella, geoponicis haustos inter se contulit ac statuit eos ad eommunem fontem, nempe Magonem — Dionysium redire, quem quisque ab altero non pendens exscripserit. Quam opinionem Gentillius maximopere impugnat. Huic enim „iam pridem suspecta erant, quae Heinzius demonstrare conabatur“ (l. l. p. 152) eamque ob causam, postquam „ostendit“, qui loci Varroniani ad Aristotelem et Theophrastum et alios referendi sint, Heinzium ipsum aggreditur ac contrarie, ut argumentatio plena sit, comprobare studet ea, quae apud Varronem, Columellam, in geoponicis similia inveniantur, non ad communem fontem redire, sed potius unum Varronem maxime amplarum animalium descriptionum esse auctorem, ex eo autem geoponicon auctorem maiorem earum partem sumpsisse, minorem ex Columella, quem Varronem his locis expressisse necessario putat, quamquam nusquam expressis verbis id dicit (l. l. p. 145). Praeterea satis multis locis ostendere studet in geoponica, quae Varro omnino non habet, ex Columella fluxisse (l. l. p. 146/47). Itaque censet Gentillius geoponicon auctorem quendam hos scriptores Romanos saepius exscripsisse. Hoc si rectum esset, de communi fonte nimirum iam non cogitari liceret ac simul is, qui Heinzii rationem secutus, quae Varro ex Cassio Dionysio habeat, statuere vellet, omni certo fundamento esset destitutus (cf. Gent. l. l. p. 163). Quae cum ita sint nostrum est quaestionem incohatam accuratius persequi. Quod aliter fieri non potest ac statuendo, quaenam ratio inter geoponica et Varronem Columellamque intercedat. Incipimus ab illo.

§ 1: Varronem ab eo, qui geoponica, quae nunc sunt, composuit esse inspectum, nemo credat vel ideo, quod maxima capitum pars, quorum in inscriptione Varro auctor nominatur, res continet, quas frustra apud Varronem quaeras.[1])

Contra non dubitem, quin auctor quidam,[2]) ex cuius opere fortasse nonnulla frustula tantum a nescio quo homine in eclogas translata sunt, Varronem adhibuerit. Quod ut credam, adducor verbis geop. I 1, 2 sq., quibuscum conferenda sunt Varroniana I 28, 1 sq.[3]):

Οἱ τοίνυν πλεῖστοι, καὶ πρό γε πάντων Βάρων ὁ Ρωμαϊκὸς ἀρχὴν ἔαρος εἶπεν, ὅταν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον καὶ ὁ ζέφυρος (a favonio § 2) *ἄρχηται πνεῖν, ὅπερ ἐστὶ τῇ πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Φεβρουαρίων* (a. d. VII. id. Febr.), *ἡλίου ἐν ὑδροχόῳ* (in aquario § 1) *ὄντος καὶ τριῶν ἢ πέντε μοιρῶν γενομένου* (*τουτέστι τρεῖς ἢ πέντε ἡμέρας ἐν τῷ ζωδίῳ ἔχοντος*). *συμπληροῦσθαι δὲ τὸ ἔαρ εἰς νόννας Μαΐας.*

---

[1]) cf. Gemoll, l. l. p. 232; Heinze l. l. p. 435, adnot. 1.

[2]) Gentillius l. l. p. 148 secutus Gemollium l. l. p. 242 Cassianum fuisse vult. Equidem potius credam fuisse Quintilios. Hi enim haud dubie ephemeridem composuerunt (cf. geop. inscript. I 9, III 1) et Varronem noverant (geop. III 1).

[3]) cf. Th. Mommsen, Röm. Chronologie p. 59/60.

§ 3. *θέρος δὲ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Μαΐων* (a. d. VII id. Mai.), *τοῦ ἡλίου ἐν ταύρῳ ὄντος* (in tauro § 1). *πληροῦσθαι δὲ εἰς τὴν πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Αὐγούστων.* § 4. *ἔτι δὲ μετόπωρον ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς πρὸ ἓξ εἰδῶν Αὐγούστων* (a. d. III. id. Sextil. cf. Keil. ad h. l.), *ἡλίου ὄντος ἐν λέοντι* (in leone § 1)· *πληροῦσθαι δὲ εἰς τὴν πρὸ πέντε εἰδῶν Νοεμβρίων.* § 5. *χειμῶνα δὲ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς πρὸ τεσσάρων εἰδῶν Νοεμβρίων* (a. d. IV id. Nov. § 2), *ἡλίου ὄντος ἐν σκορπίῳ* (in scorpione § 1). *πληροῦσθαι δὲ εἰς τὴν πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Φεβρουαρίων.*

Apparet initia veris et hiemis esse eadem, contra aestatem in geoponicis incipere uno die, autumnum tribus diebus ante id temporis punctum, quod Varronem protulisse Keilius (comm. p. 78) comprobavit. Praeterea verba, quae litteris amplis significavi, apud Varronem non leguntur, sicut in universum hic verbotenus non est exscriptus. — Tamen dubitari non potest, quin ab aliquo geoponicon auctore Varro sit expressus. Primum enim velim id respicias, quod mille fere anni intercedunt inter Varronem et eum, qui geoponica, quae nos tenemus, composuit, quo temporis spatio certe Varroniana commutari potuerunt; tum infra videbimus (cf. p. 75, pars III) numeros nusquam fere congruere; denique confirmatur Varronem esse auctorem certissime eo, quod in geoponicis inde a § 6, i. e. unde proferuntur, quae apud nostrum non leguntur, subito oratio recta adhibetur, cum antea omnia excerptorum modo obliqua oratione sint posita.

Quo accedit, quod etiam alter locus certe ad Varronem redit. Legimus geop. V 17, 9: *οὐκ ἔλαττον δὲ τούτων ἐστὶ πολυφόρος καὶ ἡ προειρημένη ἀμίννιος. διὰ τοῦτο ταύτην πασῶν μάλιστα προκρίνειν χρή. καὶ γὰρ Βάρων δισχυρίζεται, ὅτι ἕκαστον πλέθρον ἀμιννίας ἀμπέλου τριακοσίους ἀμφορέας ἤνεγκε.* — Varro I 2, 7 fertilitatem Italiae laudibus efferens Catonis exscribit verba ex originum libro, qui tradiderat in agro Gallico in singula iugera dena cullea vini fieri. Cui exemplo ipse addit id, quod in agro Faventino ibidem fere sito iugerum trecenas amphoras reddat. Vitis nomen non affert. Hoc premens initio paratus eram negare Varronem esse fontem, sed hoc nullo iure fieri mihi persuasi. Primum enim uvae amineae apud antiquos erant notissimae et praeclarissimae, ita ut facillime aliquis eorum nomen supplere potuerit fortasse etiam propterea, quod in agro Faventino revera uvae amineae nascebantur; tum etiam Columella, sive per errorem sive eandem ob causam, quam modo dixi, III 9, 3 dicit Varronem de uvis amineis verba fecisse. Qua re nisus Gentillius secutus Oderum[1]) l. l. p. 147 autumat geoponicon auctorem haec, quae ad Varronem redeunt, ex Columella hausisse, qui ipse hunc exscripserit. Illud verum esse non credo cum propterea, quod geoponicon auctor, si Columellam adhibuisset, transtulisset „*ἑξακοσίας οὔρνας*",[2]) tum quod Columella a geoponicon auc-

[1]) Rh. Mus. 45 1890 p. 65 adnot.

[2]) In tabula Dioscuridis (Hultsch, Metrolog. script. rell. p. 240) vox urna adhibetur, unde apparet ut *ξέστην*, vocem Romanam (cf. Nissen, Griech. u. röm. Metrologie, in J. Mueller vol. I^2 p. 867 adnot. 5), etiam „urnam" a Graecis in

toribus omnino non expressus esse videtur (cf. p. 76 adnot. 4). Immo id ipsum, quod sicut apud Varronem trecenarum amphorarum mentio fit, ostendit Columellam [1]) geoponicon interpretem hic non fuisse.

Iam restat tertius locus, quo in geoponicis Varro nominatim laudatur, scilicet geop. XV 2, 21. Ibi auctor quidam de bugonia agens dicit: *καὶ Δημόκριτος καὶ Βάρων ἐν Ῥωμαίᾳ γλώσσῃ ἐν οἴκῳ φασὶ χρὴ ποιεῖσθαι, ὅπερ ἐστὶ καὶ ἄμεινον.* Varro autem neque II 5, 5 neque III 16, 4 de loco idoneo ullum facit verbum. Praeterea auctorem affert Archelaum, contra ex geoponicis efficeretur, ut Democritus Varronis auctor fuerit.[2]) Columella IX 14, 6 idem ac geoponicon auctor apud Celsum, qui certe Cassium Dionysium noverat,[3]) legisse videtur, sed rationem ipsam, qua apes ex ventre bubulo fiant, non exposuit „consentiens Celso, qui prudentissime ait, non tanto interitu pecus istud (sp. apes) amitti, ut sic (i. e. tanto pretio) requirendum sit". Quae cum ita sint, neque ex Varrone neque ex Columella geoponicon auctor haec haurire potuit, sed haud dubie eundem fontem adiit, qui teste Columella ea exhibebat, id est Magonem, per errorem autem Varronem auctorem laudavit. Ut enim in ephemeride rustica a Varrone conscripta hoc fuerit expositum, ad quam Gentillius l. l. p. 148, adnot. 3 quaedam secutus Oderum (l. l. p. 65 adnot.) rettulit, vel propterea fieri non potest, quod eam unquam exstitisse iam Reitzensteinius (l. l. p. 45 sq.) suo iure negavit.[4])

His locis respectis negari non licet Varronem quodammodo geoponicon esse fontem. Sed ni fallor operae pretium est breviter inquirere, qualia ex eo hausta sint. Apparet autem primo loco ea esse translata, in quibus Varro summa etiam tum erat auctoritate, cum fuit Anatolius Berytius et Didymus Alexandrinus, quos esse geoponicon auctores primos viri docti putant.[5]) Altero loco non tam res ad agriculturam pertinens translata est, sed potius ea, quae nescio quam ob causam memoria digna videbatur ut geoponicon auctori sic etiam Columellae. Tertio contra loco, quo praeceptum usum cotidianum spectans profertur, Varro auctor non est. Nimirum ex eis, quae modo statuimus,

---

linguae thesaurum, ut ita dicam, esse receptam. Quae cum ita sint, non video, cur Nissen l. l. hanc vocem neglegat eius loco *ἡμιαμφόριον* et *ἡμικάδιον* ponens, neque est, cur putemus geoponicon auctorem, qui Columellam hic expresserit, non cognovisse hanc vocem eamque ob causam pro *ἑξακόσια ἡμιαμφόρια* maluisse ponere „*τριακοσίους ἀμφορέας*".

[1]) C. semper pro amphora duas urnas posuisse videtur. Cf. C. XII 21, 2 et geop. VII 13, 2, qui loci in ceteris rebus prorsus diversi sunt, ita ut alter ex altero non fluxerit.

[2]) cf. Oder, Rh. Mus. 45 (1890) p. 68, adnot. 1.

[3]) cf. adnot. ad p. 12; Col. IX 11, 5; Oder l. l. p. 77.

[4]) Non enim ea ex ephemeride rustica hausta esse videntur, quae Priscianus (I p. 256 Keil) affert. P. Jahn (Jahresber. d. Köllnischen Gymnas. zu Berlin, Ostern 1905), qui Vergilium in quarto georgicon libro Varronem adhibuisse ostendit, nostrum has ipsas res uberius tractasse putat (p. 3). Sed argumenta non attulit.

[5]) cf. Niclas, geop. edit. 1781, prol. p. IL, LVI; Rose l. l. p. 268; Oder l. l. p. 68 sq.; Gruppe, Hermes XI 1876 p. 237.

nemo quicquam concludet de genere eorum, quae ex Varrone in geoponica manaverint. Sed tamen patet hos duos locos, priorem imprimis, eximie translatione fuisse dignos. Quod velim respicias.

§ 2. Locis, quibus Varro in verborum contextu auctor appellatur, absolutis iam nos convertimus ad eos, quibus inter Varronem et geoponica aliqua ratio intercedit. Niclasius in editione sua, quam anno 1781 publici iuris fecit, quamque Gentillius novisse non videtur, saepe adnotat, qui loci Varronis, Columellae, geoponicon sibi respondeant aut discrepent. Quamquam hoc non plene fit, eamque ob rem ipse denuo geoponica cum Varrone contuli. Apparuit autem plus centum locos aliqua ratione cum nostro cohaerere, sive quod ad verbum congruunt, sive res tantum eaedem proferuntur, sive de eisdem rebus discrepant. Ex his ad quaestionem nostram maxime idonei sunt ei, qui non solum rebus prorsus, sed etiam verbis plane fere conveniunt, atque id propterea, quod his locis duo tantum fieri possunt: aut geoponicon auctor quidam Varronem adhibuit aut eundem atque hic fontem. Utrum verum sit, iam inquiramus.

Varro I 16, 6 dicit inter plantas quasdam esse quasi inimicitias, ita „ut arbores non solum minus ferant, sed etiam fugiant, ut introrsum in fundum se reclinent, ut vitis adsita ad holus facere solet“.

Eandem rem de vite geoponica exhibent XII 17, 20: *εἰ δὲ συμβῇ παραφυτεύεσθαι ἀλλήλαις ἄμπελον καὶ κράμβην, αὐξανόμενον τὸ κλῆμα τῆς ἀμπέλου, ἐπειδὰν μέλλῃ πλησιάζειν τῇ κράμβῃ, οὐκέτι ἐπ' εὐθείας χωρεῖ, ἀλλ' ἀναποδίζει μεμνημένον τρόπον τινὰ τῆς πρὸς ἄλληλα ἀντιπαθείας.* — Haec ex Varronis verbis effici vix potuerunt. Immo multis locis infra apparebit rem contrarie se habere eamque ob causam non dubito idem iam hoc loco adhuc dubio statuere.[1])

Priusquam ad catervam locorum, quae ex ordine Varroniano iam sequitur, accedam, pauca praemittam. Tertius geoponicon liber continet ephemeridem rusticam; legimus autem hanc primi capitis inscriptionem: *Ἐφημερὶς, καὶ τί χρὴ καθ' ἕκαστον μῆνα ἐργάζεσθαι. Ἐκ τῶν Βάρωνος καὶ τῶν Κυντιλίων.* Varro igitur fons dicitur; itaque nostrum est eius ephemeridem rusticam, quam capitibus I 29—36 profert, cum geoponicis conferre. Ut a rebus exteris incipiam, hae ephemerides eo differunt, quod Varronis antiquo more, ut videtur, non in singulos menses divisa est neque a Januario incipit, id quod in geoponicis fit, sed octo inter-

[1]) In quoscunque locos idem cadet, eis apponam asteriscum*, ne iterum atque iterum hoc repetendum sit. Et animadvertas quaeso semper fere Varronem multo esse breviorem et quasi epitomen eorum exhibere, quae in geoponicis exstant. — De hoc loco velim respicias, quanto similiora ea, quae in geop. legimus, sint Theophrasteis h. pl. IV 16, 6: *ὅταν ὁ βλαστὸς πλησίον γένηται,* quam Varronianis. cf. etiam c. pl. II 18, 4. Hanc similitudinem non fortuito esse ortam, sed propterea exstare, quod geop. auctor haec non ex Varrone, sed ex fonte Graeco cum Theophrasto quasi cognato hausit, vix neges. Theophrastus auctor esse propterea non videtur, quod nullam video causam, cur pro voce *ῥάφανος* ab hoc utroque loco usurpata geop. auctor poneret *κράμβην*. cf. adnot. 2 p. 32.

vallis singulos sesquimenses continentibus constat et a Februario orditur. Oportebat igitur eum, qui Varronem adhibere voluit, eius ephemeridem suae temporum rationi accommodare, qua re facta ea, quae apud Varronem invenit, in usum suum convertere potuit. Iam in singula inquiramus:

Januarius (geop. c. 1) inest in octavo Varronis intervallo (cap. 36). geoponica praeter alia permulta, quae apud nostrum omnino desunt, etiam haec proferunt § 1: *χρὴ τὰς ἀναδενδράδας κλαδεύειν.* § 5: *τῷ αὐτῷ μηνὶ κλαδεύειν χρὴ καὶ τὴν χαμαῖτιν ἄμπελον ὀξυτάτοις δρεπάνοις, φυλαττομένους ἡμέρας καὶ ὥρας εὐδινάς.* Quibuscum haec conferas: „vineas arbustaque putare (sc. oportet).* § 9: *τὴν ξηρὰν καὶ τὴν κούφην καὶ λευκὴν καὶ γήλοφον, λεπτόγειόν τε καὶ ἀμμώδη γῆν καὶ τὴν ῥιζῶν καὶ θαμνώδους πόας ἀνάπλεων . . . νῦν πρὸ τοῦ κοπρίσαι ἀρόσαι βραχέσι τοῖς ἀρότροις καὶ εὐθέως κοπρίσαι.*

V. ibid.: „sin siccitates sunt et terra teneritudinem habet, sarire" (sc. oportet).* Praeterea Varro non de terra, sed falso de tempestate sicca cogitavit.[1])

Februarius (geop. c. 2) continetur primo Varronis intervallo (cap. 29). Ex eis, quae geop. hic exhibent, apud Varronem simile his tantum verbis invenitur: § 2 *τούτῳ τῷ μηνὶ φυτεύομεν τοὺς καλάμους, πρὶν ἄρξασθαι βλαστάνειν.* § 3: *τούτῳ τῷ μηνὶ καὶ ἄμπελον καὶ πᾶν δένδρον καὶ ῥόδα καὶ κρίνα φυτεύειν χρή, τῆς σελήνης αὐξούσης,* nempe in his § 1: „seminaria omne genus ut serantur".*

Martii (geop. c. 3) dies viginti fere insunt in primo (V. cap. 29), reliqui in secundo intervallo (cap. 30). Conferre licet hoc locos § 2: *τούτῳ τῷ μηνὶ καλάμους φυτευτέον πρὸ τῆς ἰσημερίας.* § 5: *τούτῳ τῷ μηνὶ φυτεύσομεν κτλ.* et V. 29, 1: „seminaria omne genus ut serantur".*

Geop. ibid. 10: *καὶ ἀροτριᾶν δὲ εἰς νεασμὸν προσήκει κτλ. οὐκ ἀρκεῖ δὲ τοῦτο ἅπαξ ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ δεύτερον, εἶθε δὲ καὶ τρίτον.* cf. II 23, 14. — Varro (cf. p. 39) tres arationes semper fieri dicit § 2, quartam contra apud eos tantum, qui segetes non tam latas habent. Hoc cum certe ipse adiecerit, in geoponicis autem non legatur, ostendit geoponica eam exhibere fontis formam, quam item Varro apud auctorem invenit singularum arationum voces Romanas addens.

Geop. ibid. 13: *ὅταν δὲ ἀποσταχύῃ τὰ σπαρέντα, βοτανίσαι αὐτά· οὕτω γὰρ οἱ καρποὶ καθαροὶ καὶ εὐθαλεῖς ἔσονται.* — V. 30, 1: „segetes runcari, ⟨idest⟩ herbam e segetibus expurgari".*

De mense Aprili quae geoponica (cap. 4) exhibent, in secundo Varronis intervallo (cap. 30) inesse deberent. Sed conveniunt fere haec tantum § 4: *ἔτι ἐνοφθαλμίζεσθαι ἄρχεται τούτῳ τῷ καιρῷ συκῇ καὶ καστανέα καὶ κερασέα,* cum his Varronis verbis cap. 41, 1: „quae prius verno tempore inserebantur, nunc etiam solstitiali, ut ficus".[2])

---

[1]) cf. V. I 31, 5 ubi „siccitates" item de tempestate usurpatur.

[2]) In geoponicis (ibid. § 3) sicut apud Theophrastum inoculatio et insitio diligenter seiunguntur. Etiam tertia inserendi ratio, scil. *ἐμφυλλισμός*, profertur geop. X 75, 1. cf. Col. V 11, 1.

Maius (geop. cap. 5) continetur intervallo tertio (c. 31). Comparare liceat § 4: τούτῳ τῷ μηνὶ σκάπτειν χρὴ τὰς ἀμπέλους, cum his verbis § 1: „vineas novellas fodere aut arare et postea occare". — geop. 6, 1 καὶ ἡ βλαστολογία δὲ πᾶσα τούτῳ τῷ μηνὶ πεπληρώσθω et V. ibid. 1: „vites pampinari". — geop. 5, 5: τούτῳ τῷ μηνὶ τὰ ἐγκεντρισθέντα δένδρα διαπαντὸς ἑσπέρας ὕδατι ἐν σπογγίῳ ἐπιρραίνειν προσήκει, et § 5: „in poma, quae insita erunt, siccitatibus aquam addi cotidie vesperi".

Junius (cap. 6) distribuitur in tertium et quartum intervallum (cap. 31 et 32). Haec conferas verba § 1: τὰς ἐγκεντρισθείσας ἀμπέλους δεῖ περισκάπτειν πρὸ εἰδῶν, εἰ δυνατόν, ἐκ δευτέρου καὶ τρίτου, ἀρξαμένους πρὸ εἰδῶν Μαΐων, cum his 32, 2: „vineas veteres iterum occare (cf. geop. III 10, 2), novellas etiam tertio, si sunt etiam tum glaebae". — Discrimen in eo est, quod Varro haec inde ab a. d. XI. Kal. Jul. facienda esse docet, cum geoponicon auctor multo prius ea fieri velit. — geop. V 28, 2: βλαστολογεῖν δὲ χρὴ διὰ τῆς χειρὸς ἀλύπως, τῆς δὲ αὐτῆς ἐμπειρίας ἐστὶ καὶ κλαδεύειν καὶ βλαστολογεῖν, et V. 31, 1: „vites pampinari, sed a sciente (nam id quam putare maius).

Julius (c. 10) continetur quarto intervallo (cap. 32). Apud Varronem simile non est praeter haec § 6: ἔτι καὶ φυλλάδας εἰς τὴν τῶν βοσκημάτων ἀνατροφὴν τέμνειν χρήσιμον καὶ ἀποτίθεσθαι, nempe his c. 33: „frondem caedi",* quam rem igitur mense Augusto vel Septembri fieri vult. cf. Col. XI 2, 55.

Augustus (c. 11) inest in intervallo quinto (cap. 33). Respondent sibi § 7: τῷ δὲ αὐτῷ μηνὶ καὶ τὰ εἰωθότα χορτοφόρα χωρία ἀρδεύεσθαι ἀρδεύσομεν, καὶ ἐκ δευτέρου τεμοῦμεν πτέριν καὶ σχοῖνον καὶ κάλαμον καὶ βούτομον, et V. ibid.: „prata inrigua iterum secari".*

Septembris (cap. 12) maior pars ad quintum (cap. 33), minor ad sextum intervallum (c. 34) pertinet. Legimus § 4: ἄχρι δὲ τῆς πρὸ ϛ' καλανδῶν Ὀκτωβρίων τὸ σπείρειν ἐπισφαλές· ἂν γὰρ αὐχμοὶ ἐπακολουθήσωσι, διαφθείρεται τὰ σπέρματα. Simile exhibet Varro 34, 1: „neque ante aequinoctium incipi (scil. serere) oportere putant, quod, si minus idoneae tempestates sint consecutae, putrescere semina soleant".* — Verba excepto eo, quod temporis punctum ab utroque scriptore prolatum non est idem, simillima sunt. Varronem autem non esse geoponicon fontem vel eo confirmatur, quod ex verbo „putrescere" potius contrarium atque „αὐχμοί" concludas,[1]) scilicet „pluviae".

October (cap. 13) continetur sexto intervallo (cap. 34). Apud utrumque scriptorem legimus verbis prorsus diversis vindemiam esse faciendam. Magis secum congruunt § 2: τούτῳ δὲ τῷ μηνὶ μετὰ τὴν ἰσημερίαν καὶ τοὺς πρώτους ὄμβρους τινὲς φυτεύουσι μέχρι τῆς τῶν πλειάδων δύσεως, et V. 34, 2: „inter aequinoctium autumnale et

---

[1]) Varro saltem putrescere II 5, 16 de ungulis usurpat, quae uligine foetidae fiunt, ac similiter res se habet I 8, 4. ibid. 41, 1. cf. ad h. l. geop. III 13, 9. Col. II 8, 4.

vergiliarum occasum ... vites putare incipere et propagare et serere poma".

November (cap. 14) in septimo intervallo est (cap. 35). Respondent sibi fere: *τινὲς δὲ τότε κλαδεύουσιν ἐν τοῖς θερμοτέροις τόποις*, et § 2: „vineas arbustumque putare".* Quae sequuntur in geoponicis, contraria exhibent ac Theophrastus c. pl. III 13, 2.

December postremo (c. 15) continetur septimo et octavo intervallo (cap. 35/36). Conferenda sunt § 7: *ἔτι δὲ καστανεῶνας φυτεύειν ἐπιτήδειον,* cum hisce 35, 2: „nec non tum aliquid recte seritur, ut ulmi". — Hoc „ut" ni fallor demonstrat ulmum ex compluribus arboribus esse electam, in quibus etiam castanea erat, quam geoponicon auctor elegit.

Ephemeridum collatione ad finem perducta apparet pro multitudine eorum, quae a Varrone et in geoponicis proferuntur, perpaucis tantum locis similitudinem quandam exstare. Hi autem minime idonei sunt, quibus Varronem esse exscriptum demonstretur; immo patet satis multorum eam esse indolem, ut contrarie potius rem se habere dicas, nisi temporum ratione hoc impediretur. Quid ea re efficiatur, infra profitebimur, cum etiam plura eiusdem rei exempla collegerimus. — Quod vero Varro praeter Quintilios auctor laudatur, hoc simpliciter explicatur. Varro enim quin a Quintiliis perlectus ac duobus locis expressus sit, equidem non dubitem. Iidem autem, cum hanc ephemeridem fonte quodam nisi conscriberent, adnotaverunt similem apud Varronem exstare. Unde aliquis, qui Quintilios postea adhibuit, collegit ex Varrone quoque nonnulla esse translata. Sic illa primi capitis inscriptio orta esse mihi videtur.

Iam pergimus locos inter se comparare. Legimus geop. II 21, 4 sq.: *ἔστι δὲ κόπρος μὲν καλὴ ἡ τῶν πτηνῶν ἁπάντων πλὴν τῶν χηνῶν καὶ τῶν ἐνύδρων ὀρνέων, διὰ τὴν ὑγρότητα ... πολὺ δὲ καλλίων ἡ τῶν περιστερῶν πολὺ τὸ θερμὸν ἔχουσα, διό τινες μὴ σκευάζοντες αὐτήν, ἀλλ' ὁποία ἐστὶν ἐῶντες σὺν τῷ σπόρῳ ἐπιρρίπτουσιν ἀραιοτέραν ...* 6. *μετὰ δὲ τὴν τῶν περιστερῶν ἐστιν ἡ ἀνθρωπεία* (sequuntur multa, quae apud Varronem non exstant) 7. *τρίτη ἡ ὀνεία ...* 8. *τετάρτη ἡ τῶν αἰγῶν ... καὶ ἡ τῶν προβάτων ἑξῆς ... μετὰ δὲ ταύτας ἡ βοεία· καλλίων δὲ τούτων οὖσα ἡ ὑεία κόπρος ἀνεπιτήδειός ἐστι τοῖς σπορίμοις διὰ τὴν πολλὴν αὐτῆς θερμότητα· καίει γὰρ εὐθέως τὰ σπόριμα.* 9. *εὐτελεστάτη δὲ καὶ πασῶν ἐλάττων ἐστὶν ἡ τῶν ἵππων καὶ ἡ τῶν ἡμιόνων μόνη οὖσα· μιγνυμένη δὲ ταῖς δριμυτέραις χρήσιμος γίνεται.*

His cum verbis si conferas ea, quae Varro I 38 1, sq. (cf. p. 40) ex Cassio D. se hausisse dicit, maximam iis esse similitudinem primo obtutu videas. Stercus optimum noster quoque volucrium exceptis palustribus ac nantibus dicit, e quibus columbinum propter eandem causam anteponitur. Tum eodem loco spargendi ratio exponitur. Insignissimum id est, quod verba Varronis propria „ego arbitror ... accedit" (cf. Pin. n. h. XVII 50) in geoponicis non sunt. Item secundo loco

affertur hominis, proximi tres tertio loco enumerantur ordine commutato.[1]) Bubulum et suillum a Varrone est omissum, equinum non ita multum valere dicitur sicut in geoponicis. — Haec ex Varrone fluxisse iam Niclasius negavit ad hunc locum adnotans (l. l. p. 147): „Hoc apparet Varronem et Quintilios eundem secutus esse auctorem". Utrum revera Quintilii fuerint necne, eruere nostra minus interest.

geop. XIX 6, 7: *ἡνίκα δὲ συλλάβωσι, χωρίζουσιν ἐξ αὐτῶν τοὺς κάπρους· ὁρμῶντες γὰρ ἐπ' αὐτὰς καὶ σπαράττοντες ἐκτιτρώσκειν αὐτὰς ποιοῦσιν.*

V. II 4, 8: „cum omnes conceperunt, rursus segregant verres".* — Ea, quae geoponica plura exhibent, certe ex eodem fonte hausta sunt, unde etiam ea, quae cum Varrone congruunt.

geop. XIX 6, 8: *τὰ δὲ τικτόμενα διὰ χειμῶνος λειπόθηλα γίνεται διὰ τὴν δυσκρασίαν τοῦ ἀέρος καὶ οὐδὲ ἱκανῶς γάλακτος μεταλαμβάνοντα, τῶν μητέρων αὐτὰ διωθουμένων διὰ τὸ τὰς θηλὰς σπανιζούσας γάλακτος, βίᾳ θλιβομένας ὑπὸ τῶν ὀδόντων ἑλκοῦσθαι,*

V. II 4, 13: „porci, qui nati hieme, fiunt exiles propter frigora et quod matres aspernantur propter exiguitatem lactis, quod dentibus sauciantur propterea mammae".* — Hi loci excepto eo, quod verba „*καὶ οὐδὲ . . . μεταλαμβ.*" et „*βίᾳ θλ.*" apud Varronem non sunt, tam similis sunt, ut alterum alterius versionem esse dicas. Fieri autem non potest, ut Varro geoponicon fons sit propterea, quod frigoribus respondet *δυσκρασία*. Quamquam enim haec verba certe idem dicunt, tamen frigora ex *δυσκρασίας* interpretatione orta sunt, non contrarie. Haec enim vox continet vetustissimam doctrinam. Velut apud Theophrastum temperatio aëris magni est momenti, id quod ex locis a Wimmero (vol III p. 306) in indice sub *κρᾶσις* collectis dilucide apparet; atque ipsa *δυσκρασία* invenitur apud eundem c. pl. V 8, 2: *τῶν δὲ νόσων ἀρχαὶ καθάπερ τοῖς ζώοις ἢ ἀπὸ . . . ἢ ἔξωθεν, ὅταν ἢ χειμῶνες . . . ἢ ἄλλη τις δυσκρασία τοῦ ἀέρος.* — Quae cum ita sint, pro certo statuere possumus, in communi fonte fuisse *δυκρασία*, quam vocem Varro recte interpretatus est, geoponicon auctor simpliciter transtulit.

geop. XIX 6, 11: *καὶ ἑκάστην δὲ χοῖρον τίκτουσαν ἐν ἰδιάζοντι συφεῷ ἐμβλητέον, ὥστε μὴ μίγνυσθαι ἀλλήλοις τὰ παρὰ διαφόρων τικτόμενα, πρός τε τὰς μητέρας τὴν γονήν, καὶ τὰ χοιρίδια συνεθίζεσθαι ταῖς τεκούσαις. ἐὰν γὰρ ἀλλήλοις συναναμιγῇ, ἀδύνατον αὐτὰ διαγνῶναι τὰς τεκούσας. βελτίον δὲ, εἰ ἑκάστη τρέφει τὰ ἴδια.*

V. II 4, 13: „scrofa in sua quaeque hara suos alat oportet porcos, quod alienos ⟨non⟩ aspernatur et ideo, si conturbati sunt in fetura, fit deterior".* — cf. Col. VII 9, 11.

[1]) Si Varroni fides habenda est, Cassius in tertio gradu posuit caprinum, ovillum, asinium stercus. Cuius distributionis in geoponicis nullum exstat vestigium, sed hic etiam quartus, quintus, sextus gradus statuitur. Qui audacior erit, dicet etiam hic sicut supra (p. 27; p. 45 adnot. 2) accidere, ut non Cassius D., sed communis fons a geoponicon auctore sit expressus. Quod verisimillimum est.

geop. XVI 1, 1: *τὰς θηλείας ἵππους, ἐξ ὧν πωλοτροφήσομεν, εἶναι χρὴ εὐπαγεῖς καὶ μέγεθος ἐχούσας ἱκανόν, καὶ ὡραίας ἰδεῖν, πλάτος τε ἔχειν ἐν τοῖς μέρεσι τῆς κοιλίας καὶ ⟨κατὰ⟩ τὰς λαγόνας.*

V. II 7, 4: „(esse oportet) equas clunibus ac ventribus latis".*

geop. XVI 1, 4: *βιβάζειν δὲ χρὴ μὴ πολλάκις τῆς ἡμέρας, ἀλλὰ δὶς μόνον, πρωῒ καὶ δείλης.* 5. *ἐὰν δὲ ἅπαξ βιβασθεῖσα μὴ προσίηται τὸν ἄρρενα, μετὰ ι´ ἡμέρας αὐτῇ πάλιν προσακτέον. ἐὰν δὲ μηδ' οὕτως προσδέξηται, ἀποχωριστέον αὐτήν, ὡς ἤδη συνειληφυῖαν.*

V. II 7, 8: „admittere oportet, cum tempus anni venerit, bis die, mane et vespere, per origam ... quoad satis sit admitti, ipsae significant, quod se defendunt".*

geop. XIX 2, 11: *καὶ συγκροτοῦσιν εἰς μάχην πρὸς ἀλλήλους. καταβαρεῖσθαι δὲ οὐκ ἐῶσι χάριν τοῦ μὴ δειλιᾶν μηδὲ καταπτώσσειν, ἀλλὰ κατατολμᾶν ἐν τοῖς πόνοις μηδὲ ὑπείκειν κατὰ μηδέν.*

V. II 9, 12: „inritant ad pugnandum, quo fiunt acriores, neque defatigari patiuntur, quo fiunt segniores".*

geop. XIX 2, 10: *περιχρίουσι δὲ τοὺς σκύλακας ἀμυγδάλης πικρᾶς μετὰ ὕδατος τετριμμένης περὶ τὰ ὦτα καὶ τὰ μετὰ τῶν δακτύλων, ἵνα μήτε μυῖαι προσκαθίζωσιν ἑλκοποιοῦσαι μήτε κρότωνες ἢ φθεῖρες θλίβωσι.*

V. II 9, 14: „quidam nucibus graecis in aqua tritis perungunt aures et inter digitos, quod muscae et ricini ⟨et⟩ pulices soleant, si hoc unguine non sis usus, ea exulcerare". cf. A. h. a. 557 a, 14 sq. Col. VII 13, 1. — Hi loci sunt simillimi, at tamen certe Varro non est fons propterea, quod rectius geoponica pulicum loco *φθεῖρες* exhibent. Noster enim procul dubio nescivit, qua voce *φθεῖρας* converteret, cum discrimen, quod intercedit inter *κρότων* et *φθείρ* subtilissimum sit. Quod vel inde elucet, quod Suidas non veritus est alterum verbum altero explicare scribens: *κροτώνων κυνείων φθειρῶν.* — Varro igitur verbum difficile falso reddidit trito, geoponica vero illud etiam nunc habent. Quae res eo magis respicienda est, quod in reliquis verbotenus fere loci congruunt.

geop. XVIII 8, 2: *τὰ δὲ ἐν τῷ κείρεσθαι συμβάντα τραύματα χριστέον ὑγροπίσσῃ, τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα ἐλαίῳ μετὰ οἴνου, ἢ χυλῷ πικρῶν θέρμων ἀφεψημένων.* 3. *κάλλιον δὲ οἴνου καὶ ἀμόργης τὸ ἴσον, ἢ ἐλαίου καὶ οἴνου,*[1] *λευκοῦ κηροῦ καὶ στῆρος συμμιχθέντων συγχρίεσθαι.*

V. II 11, 7: „tonsas recentes eodem die perungunt vino et oleo, non nemo admixta cera alba et adipe suilla ... siqua in tonsura plagam accepit, eum locum oblinunt pice liquida".* — Varronem, quamvis similia communia sint, non esse exscriptum id confirmat, quod rectius geoponica habent *στέαρ*. Hanc vocem si idem significare putavit noster atque adipem suillam, magnopere erravit, quod sebum in subus omnino non est.

---

[1] Sic interpungendum est; Beckhius post *λευκοῦ*.

geop. XIV 1, 5: *τροφῇ δὲ τὸ ζῶον* (sc. *ἡ περιστερά*) *χαίρει λαθύροις, ὀρόβοις, τίλει, πίσῳ, φακῇ, σίτῳ, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῶν ζιζανίοις τοῖς καλουμένοις.*

V. III 7, 8: „delectantur milio, tritico, hordeo, piso, fasiolis, ervo". cf. Col. VIII 8, 6. — Ut ea, quae geoponica habent, ex Varrone fluxerint, fieri non potest, cum alia ac Varroniana sint. Tamen animadvertimus nostrum item ac geop. sex cibos enumerare, et quidem pro *λαθύροις* voce rara et ne nunc quidem satis explicata, legi milium, pisum apud utrumque quarto loco stare, *σῖτον* esse divisum in triticum et hordeum, *ζιζάνια*, quibus quae dicantur ne nos quidem plane scimus, omnino esse omissa. Quae cum ita sint, haud scio an hic quoque in geononicis legantur, quae iam Varro apud auctorem invenit.

geop. XIV 7, 21: *διαγιγνώσκεται δὲ τὰ ᾠά, εἰ γόνιμον ἔχει τὸ ἐνόν, ἐὰν μετὰ τετάρτην ἡμέραν τοῦ θαλφθῆναι πρὸς τὴν αὐγὴν τοῦ ἡλίου θεωρῆται. ἐὰν μὲν γάρ τι φαίνηται διατρέχον ἰνῶδες καὶ ὕφαιμον, ⟨γόνιμόν⟩ ἐστι τὸ ἐνόν. ἐὰν δὲ διαφανὲς εἴη, ὡς ἄγονον ἐκβλητέον, ἀντὶ δὲ τῶν ἀποδοκιμαζομένων ἕτερα ὑποθετέον.*

V. III 9, 12: „ova, quae incubantur, habeantne semen pulli, curator quadriduo post, quam incubari coepit, intellegere potest. si contra lumen tenuit et purum unius modi esse animadvertit, putant eiciendum et aliud subiciendum".*

geop. XIV 7, 25: *τὰ δὲ ἐκκολαπτόμενα νεόττια εὐθέως ὑποσπαστέον ἐξ ἑκάστης ὄρνιθος καὶ ὑποβλητέον τῇ ὀλιγαρχούσῃ. τὰ δὲ παρ' αὐτῇ μὴ κολαφθέντα ᾠὰ καταμεριστέον εἰς τὰς ἔτι θαλπούσας, ἵνα μετ' ἐκείνων θαλπόμενα ζωογονῆται, τῇ δὲ ὀλιγαρχούσῃ τριάκοντα μόνον νεοττούς, μὴ πλέον, ὑποβλητέον.*

V. III 9, 13[1]): „excusos pullos subducendum ex singulis nidis et subiciendum ei, quae habeat paucos; ab eaque, si reliqua sint ova pauciora, tollenda et subicienda aliis, quae nondum excuderunt et minus habent triginta pullos. hoc enim gregem maiorem non faciendum". cf. Col. VIII 5, 7. — Manifestum est geoponica ex Varrone non pendere, cum multo meliora et rectiora hoc exhibeant. Hic enim iterum levissimum se praebet, cum ne id quidem senserit se eas gallinas, quae nondum excuderunt, pullos habere dicere, cum brevi ante ipse praeceperit, ut excusi pulli ex singulis nidis subtraherentur. Ut in hunc errorem incideret, fortasse propterea factum est, quod Diophanes verba „*τῇ δ' ὀλιγαρχούσῃ*" deleverat, quibus omissis hoc vitium facile oriri potuit.

geop. XIV 22, 3: *ᾠοτοκοῦσι δὲ τρίτον τοῦ ἔτους ἕως ιβ' ᾠῶν.*

V. III 10, 3: „singulae (sc. anseres) non plus quam ter in anno pariunt".* cf. Col. VIII 14, 5.

geop. XV 3, 4: *ἔστι δὲ καθαρὸν ὑπερβολῇ τὸ ζῶον, οὐδενὶ τῶν δυσώδων καὶ ἀκαθάρτων προσιζάνον· οὔτε λίχνον, οὔτε δὲ σαρξὶν*

---

[1]) Velim iam nunc respicias, quantopere etiam ordo, quo singula proferuntur, apud Varronem et in geop. idem conservetur. Noster igitur sicut geop. auctor communem fontem etiam hac in re sequitur. Quod infra etiam clarius apparebit.

οὔτε αἵματι οὔτε λιπάσματι οὐδενὶ προσίπταται, ἀλλὰ μόνοις τοῖς γλυκὺν ἔχουσι τὸν χυμόν. cf. Col. IX 5, 6.

Varronis verba III 16, 6 denuo non exscribam (cf. p. 26). Ad ea, quae ibidem exposui, unum addam, quod muscae exemplum a Varrone fortasse adiectum in geop. non invenitur. cf. geop. XV 2, 19.

Prorsus eiusdem generis est locus geop. XV 3, 6, quem iam Heinzius protulit l. l. p. 438. Nam hic quoque geop. fontis priorem et uberiorem formam conservaverunt.

geop. XV 2, 1: τὸ χωρίον, ἐν ᾧ ἔσονται αἱ μέλισσαι, τετράφθαι πρὸς χειμερινὰς ἢ ἐαρινὰς ἀνατολὰς ἡλίου χρή, ὅπως ἂν θάλπος ἔχωσι χειμῶνος, καὶ θέρους αἱ αὖραι αὐταῖς ἐπιπνέουσαι ἀναπαύωσιν αὐτάς.

V. III 16, 12: „(mellarium) esse oportet aëre [et] temperato, neque aestate fervido neque hieme non aprico, ut spectet potissimum ad hibernos ortus". *cf. Col. IX 5, 1.

geop. XV 5, 1: καιρὸς ἄριστος τρυγᾶν μέλι καὶ κηρία ἐπιτολῇ πλειάδων· κατὰ δὲ Ῥωμαίους μηνὸς Μαΐου κατ' ἀρχάς. δεύτερος τρυγητὸς ἀρχομένου φθινοπώρου. καὶ τρίτος δυομένων πλειάδων, περὶ Ὀκτώβριον μῆνα.

V. III 16, 34: „eximendorum favorum primum putant esse tempus vergiliarum exortu, secundum aestate acta, antequam totus exoriatur arcturus, tertium post vergiliarum occasum". cf. Col. IX, 15. — Varro igitur Graecos sequitur.

Hi fere sunt loci, quos ut ad quaestionem nostram maxime idoneos plene tractandos mihi proposueram. Ostendisse mihi videor, quamvis similia Varronis geoponica exhibeant, tamen hunc exceptis illis duobus locis fontem certe non esse, cum, sicut iam supra dixi, potius dicas rem contrarie se habere. Quod cum fieri non possit, sequitur a Varrone et in geoponicis locis tractatis unum eundemque fontem communem esse adhibitum. Hoc vero triplici ratione permagni est momenti. Primum enim hoc modo permultos locos lucramur, quos nulla dubitatione ad Cassium Dionysium referre possumus. Quamquam enim uno tantum Varro expressis verbis Cassium se exscribere profitetur, tamen non vereor, ne nimis audacter idem de ceteris statuam. Inepte enim aliquis putet Varronem ea tantum ex Cassio Dionysio haurire voluisse, quae ad Aristotelem fortasse et ad Theophrastum redeunt, vel ideo, quod omnino non perspectum habere potuit, quae praeter nominatim illis a Cassio attributa ad eos referenda fuerint. Immo patet nostrum cum alios tum illos per Cassium D. in libros suos recepisse.

Deinde nihil obstat, quominus etiam reliquos locos, qui aliqua ratione cum geoponicis cohaerent quosque iam afferam, ex eodem fonte communi fluxisse putemus, quod nemo dicat hos quidem locos, quos supra tractavi, non ex Varrone manasse, reliquos vero, quorum minor pars item verbotenus congruit, maior autem magis minusve verbis atque etiam rebus discrepat, ex nostro esse sumptos. Verba ipsa non exscribam, quod longum esset, sed satis habeo, qui loci sint conferendi, ostendere:

I. Verbotenus fere congruunt hi loci.

Varro lib. II: V. 2, 13 = geop. 18, 3, 1. — 2, 14 = 18, 3, 5. — 4, 7 = 19, 6, 6 (cf. Col. 7, 9, 3). — 5, 12 = 17, 1 (cf. Col. 6, 24, 3. Heinze p. 438). — 5, 13 = 17, 10, 1—4 (cf. Col. 6, 21, 1). — 7, 10 = 16, 1, 6 (cf. Col. 6, 27, 11). — 9, 5 = 19, 2, 4. — 9, 11 = 19, 1, 5. — 9, 12 = 19, 2, 8. 9.

Varro lib. III: 7, 9 = 14, 1, 3—4 (cf. Col. 8, 8, 9). — 9, 5 = 14, 16, 2 sq. (cf. Col. 8, 2, 9 sq.). — 9, 9 = 14, 7, 16 (cf. Col. 8, 5, 5). — 9, 11 = 14, 7, 20. 27 (cf. Col. 8, 5, 14). — 9, 12 = 14, 11, 6 sq. (cf. Col. 8, 6, 1).

II. Rebus et verbis magis minusve similes sunt hi loci.

Varro lib. I: 2, 28 = 7, 31, 1. — 9, 4 = 2, 13, 1. — 9, 7 = 2, 9. — 12, 1, 3 = 2, 3, 3. — 13, 4 = 2, 21, 10 sq. — 13, 5 = 2, 22, 2. — 16, 4 = 2, 49. — 18, 2 = 2, 46. — 23, 3 = 3, 5, 7. — 31, 2 = 3, 3, 7. 3, 6, 2, cf. 5, 22, 1. — 35, 1 = 11, 18, 2. — 36 = 2, 45, 1. — 37, 1, 3 = 1, 6, 1 sq. — 38, 1 = 2, 19, 3. — 40, 2 = 2, 16, 1 sq. cf. 12, 17, 22. — 41, 1 = 10, 45, 1. 10, 52. 3, 6, 5. — 41, 2 = 10, 75, 8. — 41, 5 = 10, 45, 5. — 51, 1 = 2, 26, 1 sq. — 52, 1 = 2, 16. — 54, 1 = 5, 45. — 54, 3 = 6, 13, 2. — 55, 1 = 9, 17, 6. — 55, 2 = 3, 3, 3. — 57, 1 = 2, 27, 1, 3. — 57, 3 = 2, 27, 2. — 58 = 4, 15, 8. — 60 = 9, 33.

Varro lib. II: 1, 28 = 18, 19. — 2, 4 = 18, 6 ibid. 1, 3 sq. — 2, 7 = 18, 2, 1. — 2, 11 = 18, 2, 3, 7. — 2, 12 = 18, 2, 7. — 2, 14 = 18, 1, 6 ibid. 3, 2. — 2, 15 = 18, 3, 8. — 2, 17 = 18, 3, 9. — 2, 19 = 18, 2, 1. 17, 8, 1. — 2, 20 = 18, 13. — 3, 6, 8 = 18, 9, 5, 1. — 4, 3 = 19, 6, 1 sq. — 4, 13 = 19, 6, 9. — 4, 14 = 19, 6, 10. — 4, 21 = 19, 7. — 5, 8 = 17, 2, 2. — 5, 12 = 17, 3, 1. — 5, 13 = 17, 6, 1. — 5, 16 = 17, 8, 1. — 5, 17 = 17, 8, 2 (cf. Heinze p. 438; Gent. p. 130). — 5, 18 = 17, 11—29. — 6, 3 = 16, 21, 3. — 6, 4 = 16, 21, 4. — 7, 1 = 16, 1, 1. — 7, 4 = 16, 1, 2. — 7, 7 = 16, 1, 10. 3. — 7, 8 = 16, 1, 7. — 7, 12—13 = 16, 1, 11. — 7, 16 = 16, 3—20. — 8, 2 = 16, 21, 6 sq. (cf. Col. 6, 37, 8). — 9, 1 = 19, 1, 1. — 9, 10 = 19, 1, 6, 7 ibid. 2, 13. — 9, 11 = 19, 2, 6. — 10, 10 = 2, 47. — 11, 6 = 18, 19, 2. 18, 8, 1. — 11, 9 = 18, 8, 4—5. — 11, 11 = 18, 9, 3.

Varro lib. III: 7, 4 = 14, 6, 2. 3. — 7, 5 = 14, 6, 5. — 9, 4 = 14, 7, 8, — 9, 9 = 14, 7, 16. — 9, 10 = 14, 7, 18 sq. — 9, 14 = 14, 9, 3. 13, 8, 1. — 9, 16 = 14, 7, 13. — 9, 19—20 = 14, 7, 6. — 10, 2 = 14, 22, 1. — 10, 4 = 14, 22, 4. — 10, 6 = 14, 22, 6. — 10, 7 = 14, 22, 7. — 11, 2, 3 = 14, 23, 2—3. — 16, 4 = 15, 3, 3. — 16, 5 = 15, 3, 10. — 16, 6 = 15, 3, 2—3. 15, 2, 19. — 16, 16 = 15, 2, 8. — 16, 18 = 15, 2, 15, 16. — 16, 27 = 15, 2, 5. — 16, 28 = 15, 4, 4—5. — 16, 33 = 15, 5, 4. — 17, 2 = 20, 1 sq.

III. Diversa exhibent hi loci.

Varro lib. I: 24, 4 = 5, 53, 1 (cf. Col. 4, 32, 1). — 40, 5 = 10, 76. — 55, 3 = 3, 15, 5.

Varro lib. II: 4, 6, 7 = 19, 6, 12. — 5, 13 = 17, 3, 2 (cf. Col.

6, 24, 1). — 7, 9 = 16, 22, 2. — 9, 6 = 19, 2, 17. — 9, 13 = 19, 2, 12. — 9, 15 = 19, 1, 2 ibid. 2, 15. — 10, 10 = 18, 1, 5. — 10, 11 = 18, 1. 4.

Varro lib. III: 6, 2 — 14, 18, 3 (cf. Col. 8, 11, 5). — 7, 5 = 14, 6, 4. — 9, 8 = 14, 7, 12 (cf. Col. 8, 5, 8). — 9, 10 = 14, 18, 7 (cf. Col. 8, 11, 11), 14, 7. 28 (cf. Col. 8, 5, 10). — 9, 13 = 14, 9, 2 (cf. Col. 8, 5, 17). — 16, 8 = 15, 2, 8. — 16, 22 = 15, 2, 12 (cf. Col. 9, 13, 2). — 16, 31 = 15, 2, 20 (cf. Col. 9, 8, 13).

Tertium hoc efficitur. Ubicunque fieri potuit, et locis supra tractatis et in indice sub I allatis Columellae locos adscripsi, quibus is de eisdem rebus agit. Ex quibus ne uno quidem eisdem verbis atque illi Columella easdem res profert. Sive igitur his locis Varronem expressit sive eundem atque hic auctorem, hic certe sequitur Columellam propria exscribendi ratione esse usum.[1]) Quod etiam magis valet, si res ipsas inspicimus. Neque enim Varronem iudicem agere supra vidimus neque in geoponicis usquam res in examen vocantur, contra apud Columellam hoc passim fit propterea, quod is, quippe qui ipse diu in rebus rusticis versaretur, rerum erat peritissimus. Hoc inter omnes constat[2]) neque iam demonstratione eget.[3]) — Quae cum ita sint, patet nihil omnino colligi licere inde, quod Gentillius locis p. 145 collectis suo iure statuit ac maximopere premit scribens: „in his enim (sc. locis) omnibus mirum est geoponica quanto magis cum Varrone quam cum Columella conveniant", cum res potius necessario ita se habeat. Immo hac re confirmatur etiam in animalium descriptionibus transferendis Columellam non minus quam Varronem et geoponicon auctorem sibi constantes fuisse, falso autem inde, sicut Gentillius fecit, concluditur his locis geoponicon auctorem Varronem maxime exscripsisse. Quod non esse factum, ut res se habent, et a priori, si ita dicere licet, verisimillimum est et statim apparebit, si eosdem locos, quibus Gentillius nititur, in examen vocaverimus.[4]) Omnes hic non retractabo, cum ex omnibus idem efficiatur; itaque nonnullos eligam.

---

[1]) cf. Heinze l. l. p. 436.

[2]) cf. Becher, De Col. vita et scriptis Lips. 1897 p. 9/10; Reitzenstein, l. l. p. 26, 10; Schanz, Röm. Literaturgesch. II² 2 p. 389/90, 391.

[3]) Perpauca velim conferas: V. I 34, 1, geop. III 12, 4, Col. II 8, 4. — V. II 4, 3, geop. XIX 6, 1, Col. VII 9, 1. — V. II 11, 6, geop. XVIII 8, 1, Col. VII 4, 7. — V. III 16, 34, geop. XV 5, 1, Col. IX 15, 1. — V. II 5, 17, geop. XVII 8, 2, Col. VI 26, 1 sq. castrationem haud ignorans, quanti sit momenti, accuratissime describit.

[4]) Ut parum ad propositum nostrum pertinens mittimus ostendere nulla re effici, ut ea, quae Gentillius l. l. p. 146/47 ex Columella in geop. manasse vult, revera ex hoc sint hausta. Clarum enim est hoc tum demum pro certo statui posse, cum res Columellae propriae in geoponicis reperiuntur aut maiora verbotenus congruunt. Illud autem nec locis a Gentillio allatis neque alicubi, quantum vidi, fit (cf. etiam p. 75 sub I, p. 75 sub III, p. 76 adnot. 3). Contra hoc primum perpaucis tantum locis accidit (velut geop. XIV 18, 6—7, 8, cf. Col. VIII 11, 11), tum nihil fere valet propterea, quod constat geoponicon auctorem eundem Magonem adisse quem etiam Columella (cf. Lundstr. l. l. Gent. l. l. p. 144), ita ut commodius etiam eadem ex Magone ipso haurire potuerit, quae Col. ad hunc satis presse se applicans indidem sumpsit. Non igitur autumem ex Columella nihil in geop. fluxisse, — quicunque enim perspexit, quam intricatae hae quaestiones sint, valde cavebit, ne nimis temere quicquam pro certo ponat, —

De arietibus haec proferuntur:

V. II 2, 4.	geop. XVIII 1, 3.	Col. VII 3, 3.
1. fronte lana vestiti bene.	4. *δασυμετώπους.*	
2. tortis cornibus pronis ad rostrum.		6. intortis cornibus.
3. ravis oculis.	3. *χαροποὺς τοῖς ὄμμασι.*	
4. lana opertis auribus.	7. *σκεπομένους τὰ ὦτα τῇ πυκνότητι τῶν ἐρίων.*	
5. amplo pectore.		
6. scapulis et clunibus latis.	8. *πλατυνώτους.*	
7. cauda lata et longa.		3. cauda longissima densique velleris.
8. lingua ne varia nec nigra.	cf. XVIII 6.	7. cf. VII 3, 1.
	1. *εὐπαγεῖς.*	
	2. *καλοὺς τῇ θέᾳ.*	
	5. *εὐκέρωτας.*	
	6. *ὀλιγοκέρωτας.*	
	9. *ἔχοντας τοὺς διδύμους μεγάλους.*	5. testibus amplis.
	10. *μηδὲν ἑτερόχρουν ἐπὶ τοῦ σώματος ἔχοντας.*	8. VII 3, 2: neutra pars esse debet discolor lanae.
		1. habitus altus atque procerus.
		2. ventro promisso atque lanato.
		4. fronte lata.

Propria habet Varro sub 2 et 5, Columella sub 1. 2. 4, Cassianus sub 1. 2. 5. 6.

De optimis bubus haec leguntur:

V. II 5, 7—8.	geop. XVII 2, 1.	Col. VI 1, 3.
1. bene compositae.	1. *εὐπαγεῖς.*	
2. integris membris.		3. grandibus membris.
3. oblongae.	2. *παραμήκεις.*	2. quadrati.
4. amplae.	3. *εὐμεγέθεις.*	
5. nigrantibus cornibus.	4. *εὐκέρωτας.*	4. cornibus proceris ac nigrantibus et robustis.

contra constat ea, quibus Gentillius nititur, tam gravem rem comprobare non posse. Itaque non credemus Columellam geoponicon esse fontem, dum validioribus argumentis convicti erimus. Fortasse Lundstroemius, qui Columellam nunc edit, de hac re nonnulla proferet.

6. latis frontibus.	5. πλατομετώπους.	5. fronte lata et crispa.
7. oculis magnis et nigris.	6. μελανοφθάλμους. 15. ὀφθαλμὸν ἐχούσας μέγαν.	7. oculis nigris.
8. pilosis auribus.		6. hirtis auribus.
9. compressis malis subsimae.	7. γνάθους συνεσταλμένας ἐχούσας ἐνσίμους.	
10. ne gibberae.	8. μὴ κυρτάς.	
11. spina leviter remissa.		16. dorso recto planoque vel etiam subsidente.
12. apertis naribus.	9. ἀνεπτυγμένας τὰς ῥῖνας ἐχούσας.	8. naribus resimis patulisque.
13. labris subnigris.	12. χείλη μελανίζοντα ἐχούσας.	7. labris subnigris.
14. cervicibus crassis ac longis.	10. αὐχένα μακρὸν καὶ παχύν.	9. cervice longa et torosa.
15. a collo palea demissa.		10. palearibus amplis et paene ad genua promissis.
16. corpore bene costato.	13. βαθυπλεύρους.	14. lateribus porrectis.
17. latis umeris.	14. πλατυνώτους.	15. lumbis latis.
18. bonis clunibus.		17. clunibus rotundis.
19. codam profusam usque ad calces.	16. οὐρὰν προμήκη καὶ ψαύουσαν τῶν πτερνῶν.	21. caudis longissimis.
20. inferiorem partem frequentibus pilis subcrispam.	17. πολύτριχα.	22. et pilosis.
21. cruribus potius minoribus rectis.	18. βραχίονας βραχεῖς, σκέλη ὀρθὰ στερεὰ παχύτερα μᾶλλον ἢ μακρότερα.	12. armis vastis. 18. cruribus compactis ac rectis, sed brevioribus potius quam longis.
22. genibus eminulis, distantibus inter se.		19. nec genibus improbis.
23. pedibus non latis.		
24. neque ingredientibus qui displudantur.	20. πόδας ἐν τῷ βαδίζειν μὴ πλατυνομένους ἄγαν.	
25. nec cuius ungulae divarent.	21. μηδὲ χηλὰς διεσταλμένας.	
26. et cuius ungues sint leves ac pares.	22. τοὺς ὄνυχάς τε λείους καὶ ἴσους.	
27. corium tactu non asperum ac durum.	23. βύρσαν εὐαφῆ καὶ μὴ ἀπεξυλωμένην.	24. tactu corporis mollissimo.

	11. εὐστέρνους.	11. pectore magno.
	19. μὴ παρατριβόμενα πρὸς ἄλληλα (sc. σκέλη).	
		13. capaci et tamquam implente utero.
		20. ungulis magnis.
		23. piloque corporis denso brevique.
		1. novelli.

Praemittam Columellam describere iuvencum, Varronem autem sicut geoponica vaccas. — Mirum est, quod eis ipsis, quae apud Varronem sunt sub 2. 8. 11. 15. 18. 22, in geoponicis autem non exstant, respondent apud Columellam ea, quae sunt sub 3. 6. 16. 10. 17. 19. — Tum geoponicon proprium est id, quod legitur sub 19, cum id, quod est sub 11, uno consentiat cum Col. sub 11; praeterea ea, quae sunt apud hunc sub 12 et 18, multo similiora sunt eis, quae exstant in geop. sub 18, quam quae sunt apud V. sub 21. Hoc autem eo maioris est momenti, quod Varro discrimen, quod est inter armos et crura, prorsus neglexit. Qua re cogaris, nisi censes geoponica hic ex Magone fluxisse, putare ad hoc ipsum eorum auctorem Columellam inspexisse, mirum autem in modum ea, quae sunt apud V. sub 2. 8. 11 etc. atque item apud Col. inveniuntur, omisisse. — Varro propria affert sub 23, Col. sub (1), (2), 13. 20. 23; hic non habet, quae sunt apud V. sub 23—26.

De optimo cane haec legimus:

V. II 9, 3 sq.	geop. XIX 2, 1—4.	Col. VII 12, 3.
1. formosi.		
2. magnitudine ampla.	1. μεγαλοφυεῖς τοῖς ὄγκοις.	1. amplissimi corporis.
3. oculis nigrantibus aut ravis.	2. μελανοφθάλμους. 20. χαροποὺς τοῖς ὄμμασιν.	7. nigris vel glaucis oculis acri lumine radiantibus.
4. naribus congruentibus.	3. μυκτῆρα ὁμόχρουν ἔχοντας.	
5. labris subnigris aut rubicundis, neque resimis superioribus nec pendulis subtus.	4. χείλη μελανοῦντα ἢ ὑπέρυθρα.	
6. mento suppresso et ex eo enatis duobus dentibus dextra et sinistra paulo eminulis.		
7. superioribus directis potius quam brocchis.		

8. acutos quos habeant labris tectos.	5. *καὶ ὀδόντας ὀξεῖς.*	
9. capitibus et auriculis magnis ac flaccis.	1. *μεγαλοφυεῖς . . τοῖς ὦσι.* 6. *μεγαλοκεφάλους.*	5. capite tam magno, ut corporis videatur pars maxima. 6. deiectis et propendentibus auribus.
10. crassis cervicibus ac collo.	25. *πλατυτραχήλους.*	
11. internodis articulorum longis.	8. *μακροκώλους.*	
12. cruribus rectis, et potius varis quam vatiis.	10. *σκέλη ὀρθά, εἰ δὲ μή, σκαμβότερα μᾶλλον ἢ βλαισσά.*	10. cruribus crassis et hirtis.
13. pedibus magnis et latis qui ingredienti ei displodantur.	11. *πόδας μεγάλους, ἐν δὲ τῷ ἐπιβαίνειν πλατυνομένους.*	12. vestigiorum articulis et unguibus amplissimi.
14. digitis discretis.	12. *δακτύλους διηρθρωμένους.*	
15. unguibus duris ac curvis.	13. *ὄνυχας κεκυρτωμένους.*	
16. solo ne ut corneo ne nimium duro, sed ut fermentato ac molli.		
17. a feminibus summis corpore suppresso.		
18. spina neque eminula neque curva.	14. *ῥάχιν εὐθεῖαν ἕως τῆς οὐρᾶς.*	
19. cauda crassa.	15. *τὴν δὲ οὐρὰν παχεῖαν.*	11. cauda brevi.
20. latrato gravi.	17. *ὕλαγμα ἔχοντας βαρύτατον.*	2. vasti latratus canorique.
21. hiatu magno.	23. *ἐγκρίνουσι δὲ καὶ τοὺς μέγα τὸ χάσμα ἔχοντας.*	
22. colore potissimum albo.	18. *χρώμασι λευκούς.*	3. sit coloris unius . . albus in pastorali.
23. specie leonina.	21. *λεοντοειδεῖς.*	
24. praeterea feminas volunt esse mammosas aequalibus papillis.	26. *μεγαλομάστους, τάς τε ἀπ' αὐτῶν θηλὰς ἰσομεγέθεις ἐχούσας.*	
	7. *πλατυστέρνους.*	8. amplo villosoque pectore.
	9. *βραχίονας στερεοὺς καὶ παχεῖς ὄντας.*	9. latis armis.
	16. *ὑπὸ τῆς ἐκφύσεως μυουρίζουσαν ὅλην* (sc. *οὐράν*).	

	19. *καὶ μάλιστα τοῖς ποιμνίοις τοὺς ἀκολουθοῦντας.*	
	22. *ἄν τε δασεῖς τυγχάνωσι ὄντες ἄν τε ψιλοί.*	
	24. *τοὺς πολυαύχενας.*	4. quadratus potius quam longus aut brevis.

Etiam hic unicuique quaedam propria sunt; scilicet Varroni sub 1. 5. 6. 7. 8. 15. 16. 17., Columellae sub 4. 5. 8. 10. 11., geoponicis sub 16. 19. 22. 24. 25. — Quae exstant apud V. sub 4. 12., accuratius exscripta sunt in geop. sub 3. 10;[1]) quae in his sunt sub 7. et 9., apud Col. sub 8. et 9., apud V. non inveniuntur. Praeterea praedicem Columellam diligenter distinxisse canem villaticum, venaticum, pastoralem, cum noster commemoret quidem duo esse genera II 9, 2, in describendo autem nullum faciat discrimen. Cuius vestigium fortasse est in geop. sub 19.

De optimis gallis haec proferuntur:

V. III 9, 5.	geop. XIV 16, 2 sq.	Col. VIII 2, 9 sq.
1. salaces.		1. salacissimos.
2. lacertosi.	1. *συνεστραμμένοι τοῖς ὄγκοις.*	
3. rubenti crista.	2. *φοινικόλοφοί τε.*	5. sublimes sanguineaeque nec obliquae cristae.
4. rostro brevi pleno acuto.	3. *ῥύγχος βραχὺ ἔχοντες.*	7. brevia et adunca rostra.
5. ravis oculis aut nigris.	4. *εὐχάροποί τε ταῖς ὄψεσι καὶ μελανόφθαλμοι.*	6. ravidi vel nigrantes oculi.
6. palea rubra subalbicanti.	5. *τὸ γένειον ῥοδίζον ἔχοντες.*	9. paleae ex rutilo albicantes.
7. collo vario aut aureolo.	6. *τραχήλους τε εὐπαγεῖς καὶ ποικίλους τοῖς χρώμασι.*	10. iubae deinde variae vel ex auro flavae.
8. feminibus pilosis.		14. quin etiam vasta femina et frequenter horrentibus pinnis hirta.
9. cruribus brevibus.	7. *σκέλη φολιδωτά, παχύτερα μᾶλλον*	15. robusta crura nec longa, sed infestis

[1]) cf. Heinze l. l. p. 437 ad geop. XVI 1, 12—16, et V. II 7, 2.

	ἢ μακρότερα, τὰ δὲ ἐν αὐτοῖς κέντρα στερεὰ καὶ τὰς ἀκμὰς ὀξείας ἔχουσι.	velut sudibus nocenter armata.
10. unguibus longis.		
11. caudis magnis.	8. τὰς δὲ οὐρὰς μεγάλας.	13. tum procerissimae caudae, duplici ordine singulis utrinque prominentibus pinnis inflexae.
12. frequentibus pinnis.	9. καὶ δασείας.	
13. elati; vociferant saepe.	10. ὀργίλοι · πολύφωνοι.	16. elati, alacres, vigilaces, ad saepius canendum prompti.
14. in certamine pertinaces.	11. ἐν ταῖς συμπλοκαῖς δυσκαταγώνιστοι.	17. nec qui facile terreantur, nam interdum resistere debent et protegere coniugalem gregem, quin et attollentem minas serpentem vel aliud noxium animal interficere.
15. animalia . . . non pertimescant, sed... pro gallinis propugnent.	13. καὶ τὰ λυμαντικὰ δὲ τῶν ζώων οὐ φεύγοντες, τὰ δὲ τοιαῦτα ζῶα προσφερόμενα ἀπὸ τῶν θηλειῶν εἴργοντες.	
	12. καὶ αὐτοὶ μὲν οὐ προκατάρχοντες μάχης, τοὺς δὲ ἐπιόντας ἰσχυρῶς αμυνόμενοι.	
		2. robii coloris (§ 8).
		3. quinos digitos.
		4. status altior.
		8. maximae candidissimaeque aures.
		10. per colla cervicesque in humeros diffusae (sc. pinnae).

Hos locos si inter se comparamus, insignissimum certe id est, quod Varro et Columella sub 1 (1), 5 (6), 6 (9), 7 (10), 8 (14), 13 (16) multo magis inter se congruunt quam alteruter cum geoponicis. Quaecunque vero ratio inter Varronem et Col. intercedit, hoc dilucide apparet alias hunc et in rebus et in ordine earum propriam adhibuisse rationem, et quidem, id quod praedicare nostra magnopere interest, ex eis, quae Col. sub 5. 7. 14. 13. 8. de suo adiecisse videtur, in geoponicis nihil reperitur. Unde efficitur, ut Columella ab auctore geoponicon hic non sit inspectus. Quodsi geop. cum Varrone conferas, apparet rerum quidem ordinem prorsus eundem esse, nihilominus autem esse, quae Varronem geoponicon non esse fontem comprobant. Ut enim Varro exscriptus sit, cur geop. auctor ea omisit ex parte, quae noster affert

sub 4. 18., prorsus, quae sunt sub 1. 8. 10., contra adiecit quaedam sub 6. 7. imprimis. 10 (cf. Col. alacres), 12?

Plures huiusce generis locos exscribere oportere mihi non videtur, cum omnibus fere idem efficiatur, quod Heinzius (l. l. p. 436) suo iure statuit, nempe: „in aliis geoponica et Varronem, in aliis geoponica et Columellam, in aliis Varronem et Columellam magis inter se convenire, unicuique autem quaedam esse propria". Ultimum Gentillius neglexit, quamquam id ipsum maxime ei officit. Ne enim geoponicon auctor ea omitteret, quae Varroni et Columellae propria sunt, nihil per se impediebat, quamquam certe mira haec esset adhibendi auctoris ratio. Sed unde ea sunt, quae in geoponicis solis leguntur? Respondeas: Ex scriptoribus, quos praeter Varronem et Columellam esse adhibitos verisimile est. Licet res ita se habeat, maxime est mirum vel potius incredibile geoponicon auctorem exscribentem descriptionem canis, ut hac utar, in universum Varronem, in paucis Columellam esse secutum, conferentem autem horum verba cum alio scriptore animadvertisse hunc praeter Varroni et Columellae communia etiam propria exhibere atque haec illis adiecisse, at omisisse ea, quae etiam nunc apud illos propria exstant. Cuius rei explicationem equidem non video.

Mitto de hac re plura in universum disserere, cum, quomodo res se habeat, perspicuum sit ac ne coniecturis quidem nos incumbere oporteat. Postquam enim supra ostendi satis multis locis eundem fontem esse exscriptum, quem etiam Varro adiit, id, quod per se unum est verisimile, etiam verisimilius fit eo, quod, sicut iam Oder[1]) recte praedicavit, constat Diophanis *γεωργικά* ab Anatolio Berytio per Florentinum esse expressa. Quod his geoponicon locis procul dubio efficitur VI 15, 2: *περὶ δὲ τοῦ θᾶττον καθίστασθαι τὸ γλεῦκος εὑρήσεις ἐν τῷ τρίτῳ βιβλίῳ Διοφάνους καλλίστας μεθόδους*, et X 29, 4: *Διοφάνης δέ φησιν ἐν τοῖς γεωργικοῖς αὐτοῦ, ἐρυθρὰς γίνεσθαι τὰς ῥοιάς, ἐὰν κτλ.* — Hic aliquis opponat certe Diophanem ipsum his locis esse fontem, hac autem ex re effici non licere etiam alia atque imprimis haec inde fluxisse, sicut ipse negaverim Varronem praeter illos duos locos esse fontem. Sed res videntur tantum eaedem esse. Collatis enim Varrone et geoponicis apparuit ad Varronem duos tantum locos, quibus singularis est natura, referri posse, ceterorum autem indolem eam esse, ut aut nihil certi efficiatur aut clarum sit geoponicon auctorem communem fontem uberius atque interdum rectius exscripsisse. Quodsi verisimillimum est Varronem e Graecis unum Diophanem auctorem adisse, permulti autem geoponicon loci ex Varrone certe non manaverunt, huius autem simillimi sunt, atque insuper constat Diophanem a primo fere geoponicon auctore, Anatolio scilicet, esse expressum, non dubito propter id ipsum, quod eadem fere verba apud Varronem exstant, et illos geoponicon locos et hos, de quibus res est, Diophani attribuere. Ac-

[1]) l. l. p. 81. Cf. ibid. p. 94/95: Florentinus . . . kann der Vermittler des Diophanes gewesen sein, der, wie Gargilius Martialis' Zitate zeigen, noch in der ersten Hälfte des 3. Jahrhunderts gelesen wurde.

cedit, quod has animalium descriptiones procul dubio in Diophane fuisse comprobatur vel potius confirmatur eo, quod Columella VI 1, 2 sq. ipse testatur ex Magone se sumpsisse iuvenci descriptionem,[1]) cuius indoles tam prorsus eadem est ac ceterarum, ut dubitari non possit, quin etiam harum auctor sit Mago.

Eis, quae modo exposui, respectis spero alteram illam viam, qua Gentillius (l. l. p. 151) has descriptiones in geoponica pervenisse vult, neminem iam veram dicturum esse. Unde efficitur, ut etiam hi loci ex Diophane in Varronem fluxerint.[2])

§ 3. Iam perveni ad finem quaestionum, quas tractandas mihi proposueram. Pauca addam, quibus eluceat, cur nunc quidem omiserim collatione Columellae et Varronis ea, quae statui, quasi supplere. Hanc quaestionem si cum ea comparamus, quam modo de Varrone et geoponicis absolvimus, nemo dubitet, quin multo difficilior hac sit. Opportune enim mihi Varronis fontes indaganti accidit, quod is non modo in universum pressius ad auctorem se applicavit, ita ut satis multi loci verbis fere congruentes cum geoponicis conferri possint, sed etiam admodum festinanter ac sine omni rerum scientia libros suos composuit. Has ob res hac quidem quaestione, quae adhuc solvenda est, respecta satis facile ostendi potuit fieri non posse, ut geoponicon auctor quidam Varronem exscripserit, sed potius fontem communem in censum venire. Hae res apud Columellam prorsus fere desunt, quod is aperte et magnam industriam in opus conscribendum impendit et rerum erat peritissimus. Quae cum ita sint, difficillimum esse equidem puto statuere, quatenus Varronem Columella adhibuerit. Hoc autem faciendum esse, antequam de communi fonte quicquam certi erui potest, nemo non videt. Sunt quidem apud Columellam satis multi loci, quibus procul dubio Varro est expressus, sed remanent multo plures, quibus ob causas supra expositas maximopere dubites, utrum ea, quae Columella cum

---

[1]) Gentillius (l. l. p. 129) iuvenci descriptionem apud Columellam exstantem comparat cum bubus a Varrone (II 5, 7—9) descriptis ac statuit: „Hos locos si quis comparaverit, Varronem Magonem amplificasse facile perspiciet". Hoc plane caducum est, quod descriptiones eiusdam animalis non sunt. Persuasum autem habeo Magonem sicut iuvencum etiam bovem uberrime descripsisse, non alterius descriptionem in altera ponens atque inde supplens tantum, sicut e. g. Col. VII 6, 4 in capra et Varro II 3, 2 in hirco faciunt. Hoc revera ita se habuisse, ni fallor, comprobatur eo, quod geop. XVIII 9, 4 copiose capra, ibidem § 6. non minus copiose hircus describitur, eamque ob rem in hoc nonnulla, quae etiam in illam valent, repetuntur. Quod item in Magonis opere fuisse institutum puto. Praeterea animadvertam etiam hic Varronem et geop. auctorem prius capram, tum hircum describere, sicut certe in communi fonte fiebat, Columellam vero ordinem invertisse. cf. Col. VII 9, 1.

[2])

V. II 2, 3	geop. XVIII 1, 2	Col. VII 3, 8
„ II 2, 4	„ XVIII 1, 3	„ VII 3, 3
„ II 3, 2	„ XVIII 9, 4	„ VII 6, 4
„ II 4, 3	„ XIX 6, 1—3	„ VII 9, 1—2
„ II 5, 7—8	„ XVII 2, 1	„ VI 1, 3
„ II 9, 3 sq.	„ XIX 2, 1—4	„ VII 12, 3
„ III 9, 5	„ XIV 16, 2 sq.	„ VIII 2, 9 sq.

Varrone communia habet ad hunc referas an ad fontem ab utroque adhibitum. Quo accedit, quod, nisi certis argumentis nitaris, semper dubites, utrum ea, quae Columella accuratiora, rectiora, plura, diversa exhibet, huic ipsi attribuas an communi auctori, quem diligentius Varrone exscripserit. — Antequam igitur de hac quaestione aliquid certi statui poterit, diligentissime erit inquirendum, num quae res inveniantur, quibus nisus ea, quae Varroni debeantur quaeque ad fontem communem redeant, secernas. Quam in rem oportebit non solum multo plus laboris, sed etiam multo plus temporis impendere, quam nobis praesto est. Nisi quid nos impediet, ipsi postea ad hanc quaestionem inquisitione dignissimam aggrediemur contenti, si eis, quae nunc eruimus, niti poterimus ut rectis. Itaque postremo proferam, quid ipse de tota quaestione hoc opusculo tractata sentiam.

Varro Magonis versionem Latinam certe propterea, quod obsoleta ac nimis ampla erat, neglegens Diophanis epitomen sex libris constantem redegit ad tres non ita, ut hos libros similiter ac Diophanes Cassii opus simpliciter circumcideret, sed potius conferendus est cum Cassio Dionysio ipso, qui Magonis opus XXVIII libros amplexum redegit ad XX, una vero in ea volumina ex Graecis non pauca adiecit. Sic etiam Varro in opus Graecum ab ipso denuo recisum singulas res certe proprio consilio disponens quaedam ex rei rusticae scriptoribus Romanis recepit atque hac ratione in hos libellos scientiam trium nationum collegit. Quod quatenus et quam bene fecerit, alius est quaestionis. Hoc est meritum, quod nos maxime praedicamus. Varro ipse altero gloriatur scribens III 1, 7—8: „quae postea creverunt pecunia diviserunt, ac factum, ut dicerentur alii agricolae, alii pastores. quae ipsa pars duplex est, tametsi ab nullo satis discreta, quod altera est villatica pastio, altera agrestis. haec nota et nobilis . . .; altera villatica, quod humilis videtur, a quibusdam adiecta ad agriculturam, cum esset pastio, neque explicata tota separatim, quod sciam, ab ullo“. Magis haud scio an Varro praedicare non potuerit se primum pastionem villaticam singulari libro explicare, i. e., ut artis vocabulo Romanorum utar, se eius esse inventorem. Quod quomodo intellegendum sit quantumque valuerit apud aequales, nemo nescit, qui illius aetatis studia litterarum novit.

Index locorum.[1]

Arist. historia animalium.

[1]) Non receptus est huc index, quem in paginis 75—76 composui.

Aristotelis de generatione animalium.

Catonis de agri cultura.

Columellae de re rustica.

Theophrasti historia plantarum.

Theophrasti de causis plantarum.

Varronis rerum rusticarum liber I.

Xenophontis.

Typis Roberti Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Oscarus Albanus Hempel anno proximi saeculi LXXXIV pridie Non. Jan. in vico Tannenbergsthal patre Oscaro, matre Olga e gente Albert. Fidei addictus sum evangelicae. Pater carissimus praematura morte mihi ereptus est. Lipsiae litterarum elementis imbutus anno LXXXXV in gymnasium regium Wurzense transmigravi. Ibi magistros egregios nactus sum, ex quibus imprimis Roscher et Riess optime de me meriti sunt. Scholis absolutis anno huius saeculi IV Lipsiam me contuli studiis philologiae incubiturus. Interfui per ter senos menses proseminario regente Immischio, seminario per idem temporis spatium auspiciis Bethii, Heinzii, Lipsii, Marxii. Praeterea me admiserunt ad seminarium francogallicum Birch-Hirschfeld, ad exercitationes francogallicas idem, ad archaeologicas Schreiber, ad metricas Marx, ad paedagogicas Jungmann et Volkelt. Docuerunt me viri illustrissimi Bethe, Birch-Hirschfeld, Brugmann, Cohen, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Hirt, Hofmann, Immisch, Jungmann, Kittel, Lipsius, Martini, Marx, Schreiber, Volkelt, Wachsmuth †, Weigand, Wundt. Quibus omnibus gratias habeo maximas, praecipue autem Lipsio, qui inde ab autumno anni MCMVI famuli et simul instituti philologi bibliothecarii munere me ornavit, nec non R. Heinzio, qui his studiis meis semper summa cum liberalitate favit.

Nunquam denique obliviscar, quantum debeam Carolo et Hedvigae Schultz Schmölensibus, fautoribus benignissimis.